INSTITVTIONES IN LINGVAM HISPANICAM, ADMODVM FACILES, QVALES ANTEHAC NVNQVAM visæ.

QVAE OMNES QVI STVDIOSE legerint totas, multis inopinatis & non speratis recreabunt, & linguam perfectè docebunt.

Authore

HENRICO DOERGANGK APVD VBIOS COLON: AGRIPPIN: LINGVArum Hispanicæ, Italicæ, & Gallicæ Professore.

COLONIÆ,

Imprimebat Petrus à Brachel, sumptibus ipsiusmet Authoris.

AN. CIↃ.IↃ.C.XIV.

Venduntur Coloniæ apud ipsum Authorem,

am Hoffe im S[illegible]werdt.

Summa Priuilegij Imperatoris.

Datum est priuilegium à S. Cæsarea Maiestate Henrico Doergangio, ne vllus cuiuscunq; conditionis, aut qualitatis sit, hunc librum æmulari, imitari quocunq; modo, & imprimere, aut vendere intra imperij fines publicè, vel occultè ausit, sine consensu & beneplacito prædicti Henrici Doergangk, sub pœna decem marcarum auri puri, Fisco Imperiali, & ipsi Doergangk, omni spe veniæ sublata, soluenda; omniumq; librorum sic ad æmulationem siue imitationem impressorum, vel qui exstractum, aut vllam partem hinc desumptam habuerint, amißione, prout latius declaratur in Originali.

ADMODVM
ILLVSTRIBVS,
ET GENEROSIS
DOMINIS,
D. VDALRICO,
D. IACOBO,
FRATRIBVS GERMANIS,
& vterinis
LIBERIS BARONIBVS A
VVOLCKENSTEIN ET RODNEGG,
&c. COMITATVS TYROLENSIS SVpremis Hippocomiæ Præfectis & Præcisorib.
Hæreditarijs, Dominis in Lientz, Luan,
Tauffers, & Castelruth,
&c.

DOMINIS ET PATRONIS MEIS
humillimè colendis.

EN quid non faciat virtus? en quid non efficiat pietas, modestia, morum temperantia, & quod caput est, vera religio? En quid non obtineat animus generosus benignus, liberalis & discretus? Nullus antehac, neque Nobiles ne-

que Ignobiles, neque magni neque parui à me extorquere potuerunt vt præcepta Hiſpanica in lucē darē, licet ſępius apud me inſtiterint. Imò propoſitū erat ea nō diuulgare ante mortē. Et tamen ecce veſtræ præclaræ & generoſæ virtutes, quibus à generoſis veſtris parentibus imbuti eſtis (MI VDALRIRCE, & IACOBE GENEROSISSIMI) id fecerunt quod nullus alius apud me potuit, vt veſtro nomine illuſtrata in lucem irent. O magna virtutum vis! O magna earum pulchritudo! O ſuauis & iucunda earum recordatio & aſpectus, vt etiam obſtinatiſsimos & duriſsimos emolliant, ad ſe alliciant, trahant, & cogant!

Memini me aliquando cum ad limina D. Iacobi Compoſtellis prouolutus in genua iacerem, ei Diuo inter reliqua ſupplicaſſe, vt ſi aliquādo Dei beneficio ad deſponſatā mihi vxorē Charitē (quę me viginti quaſi annos, in ſumma fidelitate, peregrinantem expectauit! exemplum rarum!) redire cōtingeret, ex

ædibus

ædibus nostris templum sanctum efficere dignaretur. Id verè vidi impletum cum vv. Illust. DD. ab Illustribus parentibus vestris ad nos missi domum nostram intrarent, nam inter reliquas heroicas & principes virtutes quas in domum meam intulistis, eluxit tanta pietas & Religio, vt facilè videre erat, qualibus oriundi progenitoribus, nimirum magnis, pientissimis & heroibus, qui vos ita à teneris vnguiculis pietate imbuerant, vt ante omnia quàm sedem apud me figeretis, de pietate & timore Domini prima vestra fuerit cogitatio, & altaria ornatissima, locaque orationum cultissima per singula vestra cubilia, vnà cum duodecim Nobilibus qui vobiscum venêrunt, erigeretis, vbi ter de die, Manè, Meridie, & vesperi, veluti alteri Ludovvici sancti, Caroli Magni, & Caroli Quinti genibus flexis preces ad Datorem omnis sapientiæ & omnis boni quotidie deuotissimè & attentissimè simul funderetis: Lachrymę mihi præ gaudio

subinde fuerunt in oculis cum hæc vidi! Et tacitus mecum cogitaui, si hæc à tam alto sanguine procreatis fiunt, quid nos decebit! Deus ait in verbo suo; Quicunque honorificauerit me, glorificabo eum, qui autem cõtemnunt me, erunt ignobiles. Dominus itaque omnipotens, vt video, vtramque vestram, tam Paternam, quam Maternam familiam propter pietatem, virtutes & honorem quem habent Deo, summis glorificauit honoribus & dignitatibus, vt aliqui ex paterno stemmate propter insignes virtutes Præsides prouinciarum superioris Austriæ, alij Præsides in supremo iudicio Imperatoris Spirensi cum laude consederint, alij summi belli Duces sub Imperatoribus optimè meriti illuxerint, qui spontè pro Imperatoribus, & toto Romano Imperio vitam suam heroicè dederunt, alij venerabiles Præpositi Archiepiscopatus Salispurgensis extiterint, aliqui etiam ob heroicas virtutes abs Regè Hispaniarum in præmium & honorem

1. Reg. 2.

norem eximiarum virtutum aureo vellere sint dotati. Quid an non Pater vester vir illustris, generosus & strenuus ob pietatem & virtutes admirabiles totius quasi superioris Austriæ administratione & gubernatione fungitur? Matrem fœminã heroicam pietate singulari, & omnibus virtutibus decoratam si respicio, an non agnoscit ex suo sanguine & progenie illustri Madrutziorum, qui cum illustrissimo Duce Mantuanorum cognatione & affinitate coniuncti sunt, diuinâ gratiá Cardinales, Episcopos Tridentinos, eosdemque in Purpuratorum numero ascitos, nec non Principes Imperij? qui ob summam pietatem ac singularem eruditionem in summis Ecclesiæ negotijs aliquando vicem Romani Pontificis subierunt ac cum honore gesserunt, Ac illorum merita non solum Ecclesia, & tota domus Austriaca, sed & totum Romanum sentit Imperium. Quid referam summos belli Duces illustres & strenuissimos, quorum ex-

celsarum virtutum laudes an posteritas maiores, an maiora sentit, & in æternum sentiet merita totum Romanum Imperium, dubium est.

Horum talium Illustrium progenitorum veram religionem, summam pietatem, humanitatem singularem, eximiam modestiam, liberalitatem non comparandam, ac reliquas virtutes excellentissimas & heroicas cum cognoui, ac itidem vidi vos (MI VDALRICE, & IACOBE GENEROSISSIMI) eorundem egregiè & cũ laude insistere vestigijs, raptus sum, coactus sum, ac etiam gauisus sum, id dare quod nemo à me impetrare potuit nisi vestræ, vestrorumque virtutes, hoc est, sub vestro, VVolckensteiniorum videlicet, & Madrutziorum nomine, hæc Hispanica in lucem emittere præcepta. Vobis ergo ea dico dedicoque, & peto atque obsecro vt eo animo, quo ea vobis dico & consecro accipiatis & protegatis, meque in perpetuo vestro, vestrorumque fauore esse sinatis. Et

Macte

DEDICATORIA.

Macte virtute (MI VDALRICE, & IACOBE animi generosissimi) in sancta Religione, pietate, diligentia, & reliquis virtutibus vestrorumque Maiorum vestigijs insistere, vt laudabiliter cœpistis, pergite. Et Deus, quem vnicè hoc oro, in æternum vos florere & gloriosos efficiet, Amen. Datum Coloniæ. Anno. 1614.

Illust. & Generos. DD. VV.

Deuotissimus.

HENRICVS DOERGANGK. P. L. L.

CARMEN HEROICVM IN NOMEN AVTHORIS, CVM allusione allegorica in eiusdem insignia.

ARdua vis apib. queîs ingens corpore virtus
Rorat: Manè ruunt portis, floresq; Sabæos
Delibant, apium fontes, saltusq; reuisunt
Certatim, rodunt Cerinthæ ignobile gramen,
Gramen dulce sibi; soboli vt cunabula condant.
Ardua vis Doergange tibi, solertia plenis
Decantanda tubis: primo sub flore iuuentæ
Pinguia Gallorum perlustras prata, metisq;
Hyblæos flores; Quænam illibata relinquis?
Gallorum pastus campos, linguæq; medullam
Suxisti Italicæ, redoles hinc totus odorem
Saturni prati, doctos imitatus Homeros
Istius linguæ, es nulli sermone secundus.
Non satis hoc Doergange tibi, sed latius agros
Hispanûm penetrans croceo lactaris achanto
Crura thymo plenus, patrias hinc melle cauernas
Stipas, Germanamq; Vbijs sic pascis in oris
Pubem, quò facili Gallorum addiscere linguam
Nisu, quò facili Latijq; haurire liquorem
Conatu poßit. Quò quicquid callet Ibêrus
Calleat exactè, facili præscribere normâ
Iampridem moliris opus, fortuna labori
Respondet: Liber exactum limatus ad vnguem
Ecce nouus prodit, lepidos qui spirat odores
Iugeris Hispani, instar apum quē cōtulit Author.

Nunquid

Nunquid apes ideo iactant insignia quinq;?
Doergang nomen habes, rebus quod cõuenit aptè.
Immortale tibi referunt & lilia nomen
Ternis mixta rosis suauem spirantia odorem,
Nec nõ sanguineos hinc crux Burgũdica ramos
Explicat: hoc constans fidei flagrantia fecit,
Ceu tua scripta ferũt, referet quæ fama Nepotũ.

Iohannes Laurentij Angriuarius, siue Paderbornensis I.V. Doctor.

Ἐξάστιχον eiusdem, in Zoilum.

Zoile quid laceras? librũ quid dente lacessis?
Dente Theonino Ziole quid laceras?
Facundè satis Hispanæ fundamina linguæ
Profert fer melius zoile si quid habes.
Nullus in hoc libro næuus, nil turpe relatu,
Zoile non carpas, sed meliora feras.

AD BE-

AD BENEVOLVM LECTOREM.

In omni re Regulare & Irregulare.

QVIA in omni natura inferiori, Lector beneuole, est quædam regularitas, & irregularitas, Deo hoc ita volente, etiam in linguis itidem inueniri non est mirandum. Oportet ergo eum qui loquelam aliquam extraneam per artem addiscere cupit vtrumq; cognoscere, & regulare, & irregulare. Regularitas vbiq; eadem est, & quia frequens & valde communis, vnico verbo cognito, omnia reliqua statim agnoscuntur, & ob hoc facilior. Irregularitas autem nihil aliud est, quàm à communi cursũ & flexione nominum & verborum degeneratio: Hæc autem tam infrequens, & tam raro contingit in lingua Hispanica, vt quiuis eam mente facile cõplecti vel pacissimo tempore possit, & retinere perpetuò.

Regulare.

Irregulare.

Hispani regulares.

Et quoniam ex lingua cognoscitur homo, ex huius, puto, regularitate, & conuenientia Hispanos cognosci maximè secundũ rectas regulas & præscriptã viuere normã? Quod nemo sanæ mẽtis, præsertim hoc tempore, inficiari poterit. Quæ enim gens, quæ natio tã strenuos, tam constantes, & tã Zelosos legũ tã diuinarũ quàm humanarũ, & ve-

& veræ Religionis (in qua rectitudo verè cōsistit) propugnatores & defensores, posteaquam fidem Christi semel receperunt, semper habuit, & modò habet, quàm Hispanica? perfectò nulla.

Hispani omnes leges tam diuinas quam humanas strictissimè obseruant.

In Hispania enim Sacræ literæ & mandata Dei, Ius Canonicum, & Ciuile ad vnguem obseruantur.

Deut. 13. 17. 16 18.

Scriptū in sacris literis, falsos Prophetas, & nouatores in Religione interficies, & non sines apud viuere in ciuitatibus & terra vestra, Et si alicubi habitauerint, adorieris locum illum & euertes, ac maledictum eum habebis in æternum, ita vt nullus postea in eo inhabitet. Item arbor quæ non facit fructum bonum, excindetur, & in ignem mittes. Et qui non manserit in vinea, id est, in Ecclesia Catholica Romana ac antiqua fide, excindetur & arescet, & colligent eum & in ignem mittent & comburent, id est, falsos Prophetas, hoc est, hæreticos prædicantes qui seducunt populum Dei ab Ecclesia Catholica & Patrū suorum in Christo, Religione, & omnes qui sequuntur istos, in ignem mittes & concremabis eos. Hanc legem diuinam Hispani strictissimè obseruant, omnes enim qui aliquid obstinatè moliuntur contra antiquam, Catholicam, Apostolicam, & Romanam fidem & veram Religionem, in ignem conijciunt, occidunt, à se pellunt, eijciunt, & domos hæreticorum Prædicantium, si qui ibi secretò nidulantur, euertunt, locumq; domus sale consperso maledicūt in sempiternum, ita vt nullus ibi deinde immoretur.

Matth. 7.

Ioh. 15.

Seductores comburendi.

Quod

Quod ego hisce meis vidi oculis in Regia & celebri ciuitate Vallisoleto, vulgo Valledolid, *Habitauit enim ibi vir celebris & doctissimus* Don Pedro de Casallia *nomine, is rediens ex Germania falsis Prophetis & doctrinis varijs & venenatis scatente, haustum ibidem hæreticum venenum contra veritatem Catholicam clancularie in dicta ciuitate cæpit spargere, & simplices, innocentesq; animas intoxicare. Re comperta, ex cænobio Vestalium, quibus venenum suum prædicando infundebat noctu, comprenditur, ad ignem damnatur. Et quamuis cum ante rogum staret, pallinodiam caneret populumq; flentibus admoneret oculis, vt se suamq; doctrinam, & sui similes in posterū, tanquā animarum pestes, cauerent, abijcerēt & detestarentur, tamen propterea (quod aliquas iam animas ad infernum, antequā caperetur, sua pestilenti doctrina demiserat) integer comburitur, domus eius in qua habitarat (cuius latitudinem mensus sexaginta inueni passuū, adeò fuerat ampla & splendida) in detestationē criminis, euertitur, area sale cōseminata in æternum maledicitur, ita vt nemo ibi postmodum habitaret, Titulusq; tanti sui sceleris in columna lapidea incisus, in memoriam rei sempiternam, & cunctis in exemplum, & horrorem, in eadem erigitur, quam cuiuis in hodiernum diem adhuc ibi videre licet. Ecce zelum diuinum Hispanorum! Scriptum est in Biblijs: solue decimas, & Domini sacerdotes honora. Hoc præceptū ita*

Don Pedro de Casalla combustus.

Deut. 17 & 18. Exod. 22.

studio-

studiosè custodiunt, vt nulla gens, imò nulli Christiani decimas diligentius persoluant, ac sacerdotes, omnesq; personas Ecclesiasticas, & Religiosas in maiori habeant honore, quam ipsi. Matth. 10. Luc. 11. Sacerdotes Decimæ.

Scriptum est in sacris literis: a *Aduenam non contristabis.* b *Item Mercenarijs, & operarijs ante Solis occasum mercedem solues. Quod mandatum Domini Hispani supra omnes gentes strictissimè seruant. Referam quod nobis ibi aduenis accidit. Emeramus amphoram vini, portamus per plateas, occurrunt Apparitores, cum viderunt nos ex vestitu & habitu esse aduenas, accipiunt à nobis amphoram (nos perterriti putabamus nos captos rei) tum illi: Nolite timere, est enim pro vobis, & è re vestra quod facimus, & sic vinum metiuntur. Idem alia vice nobis euenit, cum emeramus carnem, quàm à nobis acceperunt & ponderarunt, vt viderent, an iustam mensuram vini, & carnis æquum pondus pro pecunia nostra accepissemus, dicentes; Iura Regni summoperè cauere, ne aduenæ apud se fallerentur, & contristarentur, Quod plerumq; à Propolis istis lucri captandi gratia, vbi peregrinum, & ignarum regionis animaduertunt, fieri solet. Sed si comprehenduntur in fallacia, vinum, & caro, & alia quæ iniquo pondere, & mensura, ignoto & peregrino vendiderunt, confiscantur, & dantur pauperibus, isti autem aduenæ aliam iustam mensuram, & pondus restituere coguntur, &*

a Exod. 22. Et. 23. Deut. 10.
b Leuit 19.
Aduenæ in Hispania quomodo tractetur.

præterea

prætereà puniuntur pœna arbitraria. Vidi meis oculis Mercenarium, seu famulum contendentem, non cum vulgari aliquo hero, Sed cum Duce & Principe. Princeps, cum famulus illi nimis esset obstreperus, indignatus iussit illum eijci ex ædibus Subiecit statim famulus. Solue mihi ergo mercedem & salarium meū, & libens abibo. Princeps secundum vsum regni extemplo illi soluit quod petebat, & dimisit. Quod ego summoperè miratus fui. Nam si in Gallia, vel Germania, aut alibi in alijs gentib. vilis famulus ita acriter obstreperet, non dico Principi, sed simplici alicui nobili, vt ille faciebat, ne obulum quidem ab illo acciperet etiāsi per aliquot annos illi inseruiuisset, sed insuper egregiè verberibus mulctatum à se eijceret Quod sanè pessimè factum est. Nam clamitat in cælum merces detenta laborum. Itaq; Hispanis legibus secundum verbum Dei cautum est, ne famuli, vel operarij dimittantur antequam probè soluantur. Quod si aliquis in eo peccauerit. siue Magnus siue paruus sine vllo respectu grauiter punitur.

Mercenarij famuli.

Scriptum est: In pondere & mensura constituit Deus omnia. Itaq; Hispani in æquitate & iustitia Deum imitantes, omnia vendunt cum pondere, & mensura. Nam quæ non sunt liquida, vt poma, pyra, nuces, castaneæ glandes, melones, vuæ &c, ea vendunt per libras, & ponderant. Quæ verò sunt liquida, vt oleum, vinum, mel, aqua, acetum, lac, &c. ea vendunt per mensuras, ne

Leuit. 19.

ras ne alicui fiat iniustia & fallatur.

Scriptum est: veneficos, Pythonicos, blasphemos & maledicos non sinetis apud vos viuere. Hoc Hispani præ cæteris nationibus rigidissimè obseruant. Hinc diuinitus apud eos instituta est sanctissima illa & diuina Domus Inquisitionis, quam vtinā omnes Christiani Magistratus Hispanos sapienter & piè imitati, reciperent etiam in suas terras & ditiones, non vtique in tam varias sectas dissecarentur, non tam varijs & pestiferis doctrinis circumagerentur, & debilitarentur, Non tam varia scelera, veneficia, blasphemiæ, maledicentiæ, sortilegia, & aliæ malæ artes & Peccata diabolica iram Dei contra ipsos excitarent, & euerterent illorum imperia, vt iam ante oculos, proh dolor, videmus, & quotidie magis magisque timemus. Exod. 22 & Leuit. 19. & 20. Leuit. 24. Inquisitio Hispanica diuina.

Sacratissima enim & diuina illa Inquisitio non solum frenum & repagulum ponit omnibus falsis Prophetis, somniatoribus, & hæreticis, sed etiam examinat, conuincit, exagitat, expellit, eijcit & planè exterminat omnia veneficia, sortilegia, blasphemias, & omnes malas diabolicas & artes superstitiosas. Hinc vnica vice expulerunt ex Hispania octingenta millia Iudæorum. Et nouiter, vt mihi relatū est eiecerūt omnes Mauros & Mahumetanos qui omnes nomen Christi & veri Dei horribiliter blasphemant, & alias malas artes contra Deum, exercere solent. Hinc nullus Diuinus, nulla saga nullus Nigromanticus, Diuini & Nigromātici non tolerantur in Hispania.

 hydro-

Diuini & Nigromantici non tolerantur in Hispania.

hydromanticus, pyromanticus, Augur, ve Aruspex apud illos toleratur. Cohabitaui & à lectionibus fui viro Principi ex Regio sanguine qui artem Nigromanticam extra Hispaniam, cum esset Dux Generalis super septuaginta millia militum, exercuerat, ita vt amissa etiam sciret recuperare, & hominibus restituere. Sed rediens in Hispaniam, ita ab hac sancta Inquisitione inhibitus est, & compressus, vt ne gry quidem de ea arte auderet mutire, si non vellet viuus comburi, vt ex ore ipsius proprio audiui.

Quales sint qui Inquisitionem contemnunt.

Insani ergo sunt, hæretici sunt, Iudæi sunt, Mahumetani sunt, politici hypocritæ sunt, mali Catholici sunt, pessimi Christiani sunt, vitiorum defensores sunt, hæresum altores sunt, blasphemiarum & maledicentiæ nutritores sunt, Sagarum, veneficorum, pythonicorum, Diuinorum & magorum fautores sunt, & omnium malarum & Diabolicarum artium, & horrendorum & abominandorum scelerum & peccatorum amici & sustentatores sunt, pessimæ & carnalis libertatis porci sunt, & dracones & omnis veræ pietatis vacui qui sanctissimam illam, & verè cælitus demissam Inquisitionem Hispanicam odio prosequuntur, contemnunt, & (quod prô dolor, & heu scelus) hodiè multi qui etiam Catholici & boni Christiani videri volunt, faciunt) detestantur.

Scri-

Scriptum est; Non respicies personam; neque diuitis, neque pauperis, neque magni, neque parui, neque amici, neque inimici, neque Sanguinis, neque alienorum, sed iustum iudicium iudicabis, anima enim quæ peccauerit illa morietur. Hoc præceptum diuinum Hispani tam strictè obseruant, vt etiam ipse Rex libenter se submittat iudicio Inquisitionis, & iuret in susceptione Regni, se velle eam defendere, & animo, & armis, & si ille ipse inueniatur hæreticus, vel aliarum malarum artium tractator, quod non recusabit secundum sanctissimæ Inquisitionis sententiam, ire ad ignem & comburi, vel secus puniri, secundum grauitatem & mensuram delicti, non secus ac aliquis ex plebe, ô Sancta natio, vbi etiam Reges & Principes se sciunt ita humiliare propter legem Dei, vt etiam infimis ex plebe non indignentur esse æquales, Deut.10. Exod.23. Leuit.19. Persona non respicienda. Reges Hispaniæ Inquisitioni se subijciunt, & reliquis legibus.

Et hoc non tantum faciunt in iudiciis Inquisitionis, sed etiam in reliquis iudicijs tam ciuilibus quàm criminalibus, vt Rex ipse Philippus II. in proprio suo & primogenito filio Carolo, toti mundo ostendit, cui non magis quamuis illi durum esset, quam humillimo ex plebeis, pepercit, sed secundum legem diuinam & politicam, propter delicta supplicio iussit affici & neci tradere. Rex Hispaniæ proprium iussit affici supplicio filium, ne violaret legem Dei.

Sed hic multi clamitant et scribunt præ-

ſertim hæretici. & Rebelles contra Deum & homines. ô facinus crudele! ô factum Tyrannicum ô Herodiana immanitas! ô Neroniana ferocitas Patrem publico proprium afficere ſupplicio & occidere filium! Quaſi vero Deus Pater ſit crudelis Tyrannus, immanis & ferox, quod proprium & dilectum ſuum filium vnigenitum publico ſiuit & voluit affici ſupplicio & occidi pro peccatis mundi.

Sed Deus Pater propter aliena peccata dedit filium ſuum vnigenitum morti, Rex verò Hiſpaniarum non propter aliena, ſed propter propria filij ſcelera coactus eſt eum tradere morti. Nunquid Deus Tyrannus eſt cum iubet parentibus filium rebellem tradere iudici vt interficiatur? Deut. 21. ſub finem. *Siccine hæretice, ſiccine rebellis, ſiccine inſane iuſtitiam & zelum Dei vocas crudelitatem, Tyrannidem, ferocitatem, & immanitatem?*

Sed vt pateat quam ſceleratè mentiantur multi hæretici, & alij funeſti ſcriptores, cum dicunt, eum iniuſtè à Patre occiſum, referam hic, quod accepi cum Madriti in aula Regis verſarer, ab ijs, qui rem optimè norant, cum eſſent in ſeruitio aulæ Regiæ, & mihi cubiculum oſtenderunt in quo morti erat datus: Sic ergo mihi narrabant illi.

Hiſtoria de morte Caroli primogeniti Regis Philippi II.

Carolus primogenitus Regis Hiſpaniarum Philippi ſecundi, cum eſſet à pueritia feruidus, & puerili ſanguine calens & quaſi furens, diſcipli-

sciplinã ferre & cogi noluit, sed imperium Præceptorũ semper respuens potius, ingenij & fantasiæ suæ, quam illorũ studia, & bene monita est secutus. Cũq; iã iuuenilis sanguis in eo inciperet ebullire nõ modestiæ sed insolẽtiæ, nõ castitati sed libidini nõ paci sed rixis, non honestati, vt Regiã personã decet, sed turpitudini turpiter se dedit, & noctu vt vulgaris quædã persona, solus obambulare, & grassatum ire, obuios quosq; lacessere, & ad pugnam iniquè prouocare tanquam furiosus cæpit. Studia Caroli.

Est Madriti Platea, quæ illorum lingua, honesto vocabulo, vocatur, la calle de las Damas, *hoc est platæa aulicarum fæminarum. sed reuera est platæa aulicarum meretricum, quas alio nomine* cortisanas *vocant. Nam in hac platæa nemo habitat, quàm mulieres publicæ, quæ instar Reginarum pomposè serico, auro, argento & gemmis vestitæ corpora sua prostituunt precio, sed publicæ tamen vocari nolũt, non enim quemuis ex populo, sed vt alteræ Thaides & Floræ, tantum Reges, Principes, & nobiles, & illos qui eis æqualiter magnum precium persoluere possunt, admittunt. Huc singulis ferè noctibus hic iuuenis Rex comeare, & cum reliquis scortatoribus scortari, digladiari & debacchari non secus ac vulgaris ac priuatus quidam homo solebat, ob quam rem & alias insolentias Regiæ personæ*

indecoras, minimeq; decentes, cum à Patre sæpius corriperetur, & etiam iussu eius à Præceptoribus aliquando castigaretur, indignissimè tulit æstimans rem esse indignam filium tanti Regis debere castigari, & non habere maiorem licentiam quam vilis quiuis alius scholaris. Sed pius Pater Philippus maiorem licentiam & latiorem campum ad Regias virtutes, non ad vitia ei patere debere reputabat. Sed ille sub disciplina humiliare se non potuit, & quò magis à Patre reprahenderetur, quò magis ille in lasciuia & petulantia, ruptis habenis, pergeret. Cum verò acrius à Patre, & sæpius castigari iuberetur, in tantum odium Parentis exarsit vt tanquam alter Absalon cuperet Patrem è medio tolli & regno priuari, vt ipse ad suam libidinem solus regnare posset. Itaq; clam & palam incepit Patrem contemnere & proscindere, quasi indignus esset Regno, omnia agere & moliri quæ essent contra ipsum & eius reputationem, & quæ illum offendere possent.

Reges maiores debēt habere virtutes quā alij.

Gesta Caroli Quinti euoluuntur.

Accidit quodam die, cum principes & proceres Regni in medio Regij Palatij euoluerent pulchrum quendam librum, in quo erant depicta gesta Caroli Quinti, sui aui, accessit ille fortè fortuna, quid habetis & quid tractatis hic viri proceres? quærens: Illi debita reuerentia & honore exhibito omnes illi cedunt, porrigunt librum: Ille perspecto libro, & laudatis singulis reddidit

illis

illis & discessit, atque hic materiam & occasionem aliquam obtinuisse patrem in odium apud Principes inducendi & deprimendi ratus, procurauit sibi fieri librum multò externè elegãtiorem illo quem proceres illi ostenderant, sed in quo nihil erat neque scriptum, neque pictum, sed merè chartaceus & albus. Cum hoc libro se collocat etiam in medio Pallatij, & studiosè eum euoluit & folia hinc inde conijcit, tandem post multam euolutionem clausum tradit Ducibus & principibus reliquisque Magnatibus qui ibi aderant, & quærit, Quid vobis videtur de isto libro? Illi omnes laudare & extollere, quod esset admodum pulcher cæperunt.

Tum ille, Inspicite, & videte quid contineat? Illi euolutis omnibus folijs, nihil in eo inuenerunt, nisi albedinem. Responderunt ergo; serenissime Princeps, hic liber nihil cõtinet: quibus ille; hæc sunt gesta patris mei, finite me semel venire ad coronam, ego aliud efficiam. Ex hoc facto & dicto proteruo filij in Patrem Principes & Duces rubore confusi conticuere omnes, repressaque ora tenebant, taciti apud se ominantes vel destructionem per eum Regni, vel infælicem talis filij exitum. Qui enim irridet patrem, cum Cam maledicitur à Domino, & ad interitum vadit.

Filius vafrè irridet Patrem.

Genes. 9.

Rex Hispaniarũ aliquando obsedit ciuitatem (vt ex relatu audiui) quã cũ nõ secus capere posset, quam per demolitionem alicuius Monasterij quod hærebat in mænijs, sed propter conscientiã

illud euertere non auderet (cum sit Regum & Principum Catholicorum defendere, non offendere, exstruere, non destruere Monasteria, & Ecclesias Dei) Episcopi & Religiosi ipsi consuluerũt vt Domino Deo votum faceret. Quod si Deus illi per hoc Monasterium victoriam & ciuitatem daret, se velle aliud in honorem Dei ædificare multò melius & splendidius, & sic liberè assiliret. Quod fecit, & voti compos factus est. Itaq; vt Domino Deo votum probè solueret pro obtenta victoria, ciuitate & destructo cænobio, aliud tale monasterium rursus in honorem Dei ædificauit (in loco qui vocatur Escurial, distat à Regia vrbe Madrito sex, vel septem milliaria Hispanica, vel quinque Germanica) vt eius structura longè superet, non dico prius monasteriũ, sed septem miracula mundi, & hodie in toto terrarum orbe nõ inueniatur ædificium vel ditius, vel splendius, vel magnificentius, Dicatum autem est Deo sub tutela S. Laurentij.

Boni Christiani non destruunt Monasteria sed ædificant.

Rex facit votum.

Escurial superat septem miracula mundi.

In hoc Monasterio placuit Regi, vt quia domus esset optima, monachi & Religiosi (qui sunt ordinis S. Hieronymi) etiam optimè viuerent, tractarentur & honorarentur, filius autem, vt semper illi displicuit quod patri placebat, hoc etiam indignissimè tulit. Itaq; cœpit illos Monachos in odium Patris, pessimè tractare, & vbi aliquando eò animi recreandi gratia comeare (quod Regij æstate sæpius, quod locus amænus & subfrigidus est, quia in montibus & arboribus situs, faciunt) soleret,

soleret, & haberet dictos Monachos obuios, eos ex mulis (nam Ecclesiastici & Religiosi in Hispania valde honorifice in altis in itinere feruntur mulis) baculo suo deturbabat, & insuper iniuriosis hisce, vel similibus incessabat dictis: Porci & asini descendite, & sinite pedissequos meos & famulos equitare, & sic monachis detrusis iussit famulos ascendere, quod factum pro homine Christiano & Catholico erat non dicto turpe, sed capitale. Et licet sæpius à Patre admoneretur, ne tale quid committeret, sciret enim in Hispania, vt & in tota Ecclesia Dei: capitale esse, si aliquis Sacerdotem percuteret, & afficeret iniuria. Ille tamen tanquam furiosus in scelere perstitit, & quo magis à Patre moneretur ne talia & alia mala faceret: eo magis ille in isto, & aliis perrexit, Percutit. Monachos.

Cum interea Don Iohan de Austria ex Lepantino prælio, in quo maximas Turcarum vires fregerat & contuderat, rediret in Hispaniam, exque eo bonum nomen sibi apud omnes contraxerat, visum est Patri, filium rebellem tanti viri subdere imperio, vt qui neque bonis monitis, neque pudore in officio retineri posset, saltem tam magni viri præsentia & strenuitate coerceretur. Sed vt ait sapiens: Non amat pestilens eum qui se corripit, nec ad sapientes graditur. Sic ille omnibus modis & hunc odio prosequi, obniti, resistere, molestare, & omnes vias quibus ab eius imperio liberari posset, investigare cæpit. Est palæstra non Don Iohan de Austria. Pro. 16.

Pila hispanica.

longè à Palatio vbi Principes & nobiles ludere solent pila palmaria, sed loco reticuli, quod vulgò vocant Raquete *, vtuntur eiusdem forma instrumento ex ligno quo pilam propellunt. Hic filius Regis cum Don Iohan de Austria suo magistro, & aliis Principibus eo lusu se quodam die exercebat, ibi ille cum reliquis Proceribus pacificè agere, sed semper limis oculis Don Iohan intueri, & obseruare , rixas & contentiones cum illo quærere , omnia præposterè agere & interpretari. Tandem fortè fortuna fit rixa inter ludentes de meta, ibi vnaquæq; pars acriter, vt fieri solet, suas defendere partes. Cum autem Don Iohan pro se, & suis diceret. Dicite quidquid volueritis nos tamen vicimus. Ibi furore percitus Iuuenis seni, sine rerum vsu & experientia puer, viro multarum rerum & laborum vsu & experientia celeberrimo, dicipulus magistro , filius quasi patri colaphum impingit, & acerbis iniuriis in præsentia tantorum virorum cor perfodit his verbis: Mentiris fili meretricie, nos vicimus. Don Iohan hanc iniuriam indignè quidem tulit, sed vt vir grauis & sedatus modestè illi respondit. Quid me verberas, & vocas filium meretricium cum patrem meliorem, quàm tu habes , habuerim? Ibi insanus abolescens putans se iustam causam nactum , qua illum apud Regem in odium induceret, iracundus currit ad Patrem, clamitans, ho Pater , Rex Serenissimè, Don Iohan de Austria & me & Regiam tuam Maiestatē summa in publica palæstra affecit iniuria, dixit enim*

Colaphum impingit Magistro, & fodit iniuriis.

sibi coram omnibus, se meliorem patrem me habuisse, cum V.M. optimè sciat, ipsum esse filium meretricis, me verò legitimè esse natum. Rex tacitè paululum, apud se considerans prudētiam Don Iohannis de Austria, & humorem & furorem Iuuenis respondit: hoc verum est, verissimè dixit Don Iohan de Austria. Nā pater ipsius erat Imperator Romanus & Rex Hispaniarum simul, Tuus vero pater non est nisi Rex Hispaniæ. Sed tu, mi fili melius faceres vt obedires tanto viro, & aliquid ab eo disceres, quàm cū illo discordias seras & litiges volo vt ei obtemperes, & non vt obsistas, vel vllam iniuriam inferas, si clementem desideras habere Patrem. Hoc dicto confusus, & videns quod neque ab hac parte, neque ab illa appetitui suo satisfieret, alias vias pessimas rimatus & machinatus est, quibus & se de vtroq; vindicaret & liberaret, & super omnes se constitueret, Primò igitur collecto suo satellite & famulis tanquam furioso percitus æstro currit extra ciuitatē vbi Don Iohan domū recreationis habebat, eā incendit, comburit, & omnia quæ in circuitu ad eā pertinebant, vastat, corrumpit & absumit.

Deinde data occasione commodâ amicitiam secretò inijt cum legatis Turcarum, eisq; conatum & intentionem animi sui exponit, Illi gauisi læti perscribunt rem ad magnū suū Imperatorem. Hic hac ratione ratus oblatam sibi esse, optimam occasionem totum occupandi Christianismū. Itaq; repentè illi rescribit offerēs illi omnem

Conspirat cum Turcis contra Patrem.

assisten-

aßistentiam. Et vt maiori confidentia illi crederet, ei spospondit propriam suam filiam in matrimonium, eamq; in pictura præstanti & pulchra ei transmittit, quam ille gaudens & exultans, recipiens, tanto amore insanus cæpit prosequi & deperire, vt eam veluti Deam aliquam in conclaui suo in arca cum literis Imperatoris Turcici reconderet, & singulis vesperis quando vellet incumbere, ac sæpe alias eam inde extraheret, aspiceret, osculaterur, & adoraret. Hoc obseruãs aliquando casu Don Iohan de Austria cum consensu Regis, illo absente, arcam eam aperit. Ecce ibi totum scelus & proditio fit manifesta, literæ Turcicæ vnà cum filia ostenduntur Patri. Hic obstupescens, attonitus & suspirans, literas & picturam ne filius facinus suum patefactum agnosceret, reponi, & arctiori eum custodia, ne aliquid in detrimentum Christianitatis cum Turcis moliri posset, muniri & custodiri iubet.

Turca offert illi filiam.

Detegitur conspiratio.

Hinc ille videns se nihil viuente Patre, pro sua libidine efficere posse, omnem ingenij vim in id intendit quo posset Patrem tollere è medio. Itaq; quadam die capta oportunitate ad Lectum Patris, (vbi is ob corporis debilitatem decumbebat) cum duabus Sclopetis oneratis sub cappa siue pallio absconditis accedit quasi Patrem alloquuturus, ibi infælix iste alteram sclopetam ex pallio proferens in Patrem tendit exoneraturus funesta voce exclamans. Hei iam morieris perdite qui toties mihi restitisti! Ibi quidam aßistentes,

Patrem occidere tentat.

stentes, qui iam dudum nouerant filij humores, accurrunt, ictum impediunt. Pater exhorrescens alta voce exclamat. Quid conaris ô scelestе; comprehendite nefarium & impium Parricidam! Sic miser este capitur, constringitur, in custodiā ducitur. Tota domus Regia perturbatur, vniuersa vrbs in luctu & mærore est ob facinus tam horrendum ab ipso Regis filio attentatum. Principes verò & Proceres regni Patrem placare filio veniam ab eo & vitam precari aggrediuntur. Tum pius ille Rex magna voce plorans: & ad cælum manus tendens ait:

Capitur in ipso facinore.

O Dij immortales, hoccine scelus in loco sancto domus Regiæ attentari! Hoccine factum à sanguine Regio oriri! tale facinus in domo Austriaca exaudiri oportere! hoccine crimen in regno hoc sancto & Catholico tolerari debere! Parricidium tam horrendum etiam in abiecto ardelione sine horrendo supplicio impunitum manere debere! Si ex plebeia fece aliquis attentat in personā Regis parricida vocatur, crudeliter necatur, omnes eius posteri in æternum damnantur ita vt sint sine honoribus & fortunis. Et filius Regis tātum scelus impunè feret? Nunquid tu Deus dixisti: Qui maledixerit patri suo morte moriatur? Quid ei ergo qui Patrem occidere tentat? Itaq; si vilis aliquis ex communi populo Patrem non magnæ æstimationis interficere tentat, is secundum ius Romanorum, neque gladio neque ignibus neque vlli alij solemni pœnæ subijcitur: sed

Exclamatio & dolor Regis.

Exod. 21.

Instit. li. 4. de pub. iudiciis, & alia deinde lex.

Parricidæ horribilis pæna.

insutus culeo cum cane, & gallo gallinaceo, & vipera, & simia, & inter eas ferarum ferales angustias cōprahensus, secundum quod regionis qualitas tulerit, vel in vicinum mare, vel in amnem proijcitur: vt ei cælum superstiti, & terra mortuo auferatur. Et filius Regis qui non vilem personam, sed ipsum Regem Patrem suum mactare aggreditur, euadere poterit? nullo modo. Nunquid tu ô Deus qui es Deus Deorum, & Dominus Dominantium, Deus magnus, & potens, & terribilis, qui personam non accipis, nec munera, dixisti? Exiguo conceditur misericordia, horrendè autem apparebis magnatibus, Potentes potenter tormenta patientur. Maioribus fortior erit curatio, seu pæna. Nunquid tu Deus Regibus imperasti? Non facies quod iniquum est, nec iniustè iudicabis. Non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis, Iustè iudica proximo tuo. Nunquid tu Deus, qui es iustus iudex omnibus parentibus, siue sint Reges, siue infimi, sub præcepto inculcasti? Si genuerit homo filium contumacem, & proteruum qui non audierit patris ac matris imperium, & coercitus obedire contempserit, apprehendent eum, & ducent ad Seniores ciuitatis illius, & ad portam iudicij, dicentq; ad eos: filius noster iste proteruus & cōtumax est, monita nostra audire contemnit, cōmissationibus vacat, & luxuriæ atque conuiuijs. Lapidibus eum obruet populus ciuitatis, & morietur, vt auferatis malū de medio vestri. Nunquid tu Deus dixisti? Si filius tuus, aut filia tua,

Deut. 10.

Sap. 6.

Potentes maiori pæna puniendi.

Deut. 19.

Iustè iudicandum.

Deut. 21.

Filius potator & contumax occidendus.

quos diligis vt animam tuam, religionem quam patres vestri ignorauerunt, voluerit inducere, nō acquiescas eis, nec audias, nec parcat eis oculus tuus vt miserearis, & occultes eos, sed statim interficies. Sit primum manus tua super eos, & post te omnis populus mittet manum, lapidibus obruti necabuntur, vt auertatur Dominus ab ira furoris sui & misereatur tui.

¶ *Si igitur parricida Regis crudeliter necandus: Si qui maledixerit patri morte puniendus: Si qui patrem occidere tentat, nouo & inaudito genere supplicij est è medio tollendus: Si pater iubetur nō ab homine sed ab ipso Deo, in quo non potest esse iniquitas, filium proprium occidere, qui tantum contumax est, & qui voluerit ipsum seducere in falsam religionem: Si persona non est accipienda: Si deniq; vultus Principis & Potentis non est honorandus; sed principes, Magnates & potentes magis horrende, potentius & rigidius sunt puniendi et castigandi quam exigui et parui. Si reatu maiori delinquit, qui potiori honore perfruitur, et grauiora facit vitia peccatorum, sublimitas peccantium. Quomodo potero dare veniam, et parcere filio meo? Quomodo poterit stare regnū meum, si supremi Regis, per quem omnes Reges regnāt, amorē deserā, et leges et mādata eius tā manifeste infringā propter affectū et amorē filij. Turbabitur, vastabitur, euertetur imperiū et domus nostra, si imperiū Summi et cælestis Imperatoris non exequamur. At ne hoc fiat, abripite eum, abducite eum, tradite eū (vt Deus mandat)* causa. 2. q. 1. c. 4.

iudicibus, & iusto supplicio afficite, vt minimum quemuis ex populo, imò magis, vt auferatur malum de medio nostri, & à vertice Diadematis nostri, ne furor Domini in nos exardescat & absumamur, vt vniuersus populus audiens pertimescat. Et ne posthac mali Regis ad exemplum totus componatur orbis, & quiuis rebellis audeat insurgere contra suos Reges & Principes, aut parentes. Itaq; voluit Rex, vt magnus Zelator legis Dei proprium filium non minori punitione affici. (ô cor virile! ô cor verè Regium! ô cor inflexibile & immutabile in iustitia seruanda, & lege Dei!) quam minimum quemuis ex populo. Sed tamen intercessione Principum & Procerum Regni cũ consensu Iudicum pœna mitigata est & non publicè, sed in cubiculo palatij incisa vena in pede, calida in aqua posito, extinctus sit.

Priuatur vita.

Eant iam disciplinæ & iustitia osores, eant regnorum, rerumpublicarum, & imperij proditores, eant Badistæ Prædicantes. Israelis & populi Dei perturbatores, eant viperarum & Dæmoniorum soboles hæretici, & vocitent Regem Hispaniarum iniustum, ferocem Tyrannum, Herodem & Neronem. Iniustusnè est is qui iustitiam exercet? feroxnè est is qui pro lege Dei Zelat? Tyrannusne est is qui Regnum & totum Christianismum à Tyrannide & iugo Turcarum iustè liberat? Herodesne est is qui Regum interfectorem & contumacem iusto iubet affici supplicio? Estne Nero is qui Rebellem & parricidam

in Re-

in Regem et proprium parentem, secundum leges diuinas et humanas, è medio tollit? ô scelesti! ô peruersum, ac venenatum et liuidum iudicium! ô Corniculatores, et serpentum, coruorumque prosapia! quamdiu habebitis corda vestra indurata? quamdiu rebellionis, scelerum, et sacrilegiorum et omnis impietatis manebitis defensores et patroni? Quamdiu seditiones, inobedientiam, parricidia et scelera in pectoribus vestris fouebitis? Quamdiu ex tenebris facietis lucem, et ex luce tenebras? Quamdiu mendacium nominabitis veritatem, et veritatem mendacium? Quamdiu sub specie pietatis vniuersam pietatem euertetis? Quamdiu vestra somnia et falsas sacrarum literarum interpretationes populo pro vero Euangelio obtrudetis? Quandiu tandem iustitiã et omne bonum in iniustitia et absconditis vestris sceleribus detinebitis? Donec Turcarũ Tyrannus omnium scelerum et impietatis fotor vos sua mancipia reddat, et infernus vos postea deglutiat, et æternis vos excruciet torturis, ignominia et confusioné, nisi maturè reuertimini et pænitentiam egeritis. Esa. 5.

Sed his omißis, pergamus ad alia, et videamus quam ardentes et fideles Hißpani sint zelatores et obseruatores non tantùm sacrarum literarum, sed etiam quod sacris literis æquiparatur, iuris Canonici. Ius canon.

Causa. 20. q. 1. c. 18.

Scriptum est in iure Canonico. Si quis dogmata, mandata, interdicta, sanctiones, vel decre-

ta pro Catholicæ fidei disciplina, pro correctione fidelium, pro emendatione sceleratorum, interdictione imminenitum, vel futurorum malorum à sedis Apostolicæ Præsule (id est, à Pont. Rom.) salubriter promulgata contempserit, Anathema sit.

Romano Pontifici qui non obedit, Anathema est.

Item Generali Decreto constituimus, vt execrandum Anathema sit, & veluti præuaricator Catholicæ fidei semper apud Deum reus existat, quicunque Regum, seu Episcoporum, vel potentum deinceps Romanorum Pontificum Decretorum censuram in quocunque crediderit, vel permiserit violandum.

Causa. 25. q. 1. c. 11.

Item Nec quicquam quod contra Euangelicæ vel propheticæ, aut Apostolicæ constitutionem, successorumúe eorum (id est, Romanorum Pontificum & Episcoporum Romanam Ecclesiam sequentium) siue Sanctorum Patrum actum fuerit stabit: & quod ab infidelibus, vel hæreticis factum fuerit, omninò cassabitur.

Causa 25. q. 1. cap. 8.

Prima salus est rectæ fidei regulam custodire, & à constitutis Patrum nullatenus deuiare.

Ibidem c. 9.

Item, a *Quia in speculum & exemplum sancta Romana Ecclesia proposita est, ab omnibus quidquid statuit, quidquid ordinat, perpetuò, & irrefragabiliter obseruandum est* b. *Enimuero Romana Ecclesia nullis synodicis constitutis cæteris Ecclesiis prælata est, sed Euangelica voce Domini & Saluatoris nostri Primatum obtinuit. Tu es Petrus, inquiens, & super hanc petram ædificabo Ecclesiã meam, & portæ inferi non præ-*

a Stepha. Papa dist. 21. c. 4.
b. Gelasius dist. 21. c. 3.

ualebunt

ualebunt aduersus eã. Et vt ait Necolaus II. Ecclesia Romana super omnes à Christo constituta est. Qui itaq; priuilegiũ ei ab ipso summo omniũ Ecclesiarum capite traditum auferre conatur, hic est procul dubio dicendus hæreticus. Fidem quippe violat qui aduersus illam agit, quæ mater est fidei: & illi contumax inuenitur, qui eam cũctis Ecclesiis prætulisse cognoscitur. Vnde & ipse S. Ambrosius, se in omnibus sequi magistram sanctam Romanam profitetur Ecclesiam. dist. 21. cap 3. & 22. c. 1 lib. 3. de Sacram. cap. 1.

Hoc Hispani tam strictè obseruant vt etiam capita sua libencissimè deuouerant contra omnes illos qui aliquid contra constituta Patrũ & Decreta Regum & Episcoporum. Et in primis cõtra eos, qui contra dogmata, mandata, interdicta, sanctiones & Decreta Romanorum Pontificum vel minimum etiam quid obstinatè moliuntur & delinquunt, hoc patet ex superiori historia de Carolo primogenito Philippi secundi. Manifestum, etiam est ex tot bellis contra infideles, & eos qui patrum, et Episcoporum constituta contemnunt ab ijs gestis. Patet etiam ex eo quod nuper cum Veneti contenderent cum Romano Pontifice, ipse Rex Hispaniarum propriam animam & omnia sua deuouerit pro defensione Romani Præsulis, & Ecclesiæ Romanæ, & propria sua manu hanc ad eum scriberet epistolam.

AD BENEVOLVM

EPISTOLA REGIS HISPANIAE ad Romanum Pontificem.

MI duole assai che le cose de' Venetiani siano tanto auanti con V. B. Insieme con la sede Apostolica siano astrette alla difesa. Per laqual causa io come figliuolo d'obedienza non posso mancare di non venire con mia persona al seruitio & difesa di V. B. & didetta sede Apostolica. Il che ho detto ancora al l'Ambasciatore che detta Signoria tiene in questa Corte, acciò ne dia auiso alla sua Republica. Et anco hò ordinato à tutti li Potentati d'Italia che stiano preparati & lesti al seruitio di V. B. & didetta sede, per mare & per terra, secondo se gli ordonerà esser necessario, Et besognando la mia persona pròpria, in tutte l'occasioni starà prontissima per assistere, & insieme alla Santità sua, alla quale Dio, Conseruatore della sede Apostolica, dia prosperi & felici successi.

Et in eo quod ita Zelent pro Ecclesia Romana Rex Hispanus, & tota Hispania vltra modũ prudẽter et sanctißimè (vt & reliqui Reges, Imperatores et Principes Catholici et Sancti semper fecerunt) faciunt. Nam Ecclesia Romana est caput cardo, et radix omnium Ecclesiarum et fũdamentum et columna veritatis ab ipso Domino Iesu constituta, contra quam portae inferorum id est men-

Matth. 16. 1. Timoth. 3.

est, mendacia et errores, et potentes huius mundi et inferorum, nūquam praeualebunt. Quam omnes verè fideles et oues Christo sequi ex mandato Christi tenentur & semper secuti sunt. Qui enim eam sequitur, verbum Dei & euangelium & ipsam veritatem inuiolata habet, & prosperatur. Qui vero eam contemnit & audire recusat, semper errabit, hallucinabit & in aeternum peribit, vt hoc ex verbo Dei antiqui sancti Patres, & sancti Martyres qui sanguinem suum pro Christo, & Ecclesiae Romanae fide gloriosissimè effuderunt, testantur, ait enim. Luc. 22. Ioh. 21.

Sanctissimus Martyr Bonifacius, vt dicunt dist. 40. c. 6. & Nauclerus Gen. 26. & Deusdedit Praesbyter & Cardinalis lib. 1. cap. 231. ex gestis Bonifacij Martyris.

Sancta Romana Ecclesia priuilegio specialis authoritatis diuinitus & humanitus caput omnium Ecclesiarum post Christum Iesum effecta, secundum Antistitis, vel Rectoris sui qualitatem & valetudinem afficit totius Christianitatis membra, vt illius incolumitati sua respondeant incolumitate & congaudeant: Et nihilominus eius languoribus suo languore consentiant: Et sicut eius gloria iuxta Apostolum conglorificantur, sic eius deiectione deijciuntur, vt illud propheticum in eo praecipuè compleri deprahenditur: omne caput languidum, & omne cor moerens à planta pedis vsque ad verticem non est in eo sanitas. Et reuerà tantâ Reuerentiâ apicem 1. cor. 5. Esa. 14:

præfata Apostolicæ sedis omnes suspiciunt, vt nō-nullam sanctorum Canonum disciplinam, & antiquam Christianæ Religionis institutionem magis ab ore Præcessoris eius, quam à sacris paginis, & paternis traditionibus expectant: Illius velle, illius nolle tantum explorant, vt ad eius arbitrium suum conuersationem & ipsi remittant & intendant. Quod si, vt summopere sibi & omnibus experit, Zelo Domus Dei sine intermissione tabescens, fidelis dispensator & prudens existens, Deo & hominibus, opere & sermone irrepræhensibilem sese conseruare studuerit, vt verè fatear, vniuersum penè mundum secum attonitum & sollicitum post Deum currere facit, ex vtroque sexu populos diuersæ professionis, conditionis & ætatis, cateruatim Domino suo super omnia bona ipsius constituendus ducit.

Si verò suæ & fraternæ salutis negligēs depræhēditur, inutilis & remissus in operib. suis, & insuper à bono taciturnus (quod magis officit sibi & omnibus) nihilominus innumerabiles populos cateruatim secum ducit primo mancipio gehennæ, cum ipso plagis multis in æternum vapulaturos: Cuius culpas hîc redarguere præsumit mortalium nullus: Quia cunctos ipse iudicaturus, à nemine est iudicandus, nisi fortè depræhendatur à fide deuius: Pro cuius perpetuo statu vniuersitas fidelium tanto instantius orat,

Tota Ecclesia orat semper pro Papa.

quantô

quantò suam post Deum ex illius incolumitate animaduertunt propensius pendere. Saluo enim diuinæ omnipotentiæ mysterio, vt dignum est, loco ab ipso secundum illud B. Iob non incongruè aptari Sanctæ Romanæ Ecclesiæ potest: Si destruxerit, nemo est qui ædificet: Et si incluserit hominem, nullus est qui aperiat ei: Si continuerit aquas, omnia siccabuntur: Et si emiserit eas, subuertent terram nec immeritò: cum ipsa specialius in Petro cæli, terræq; retentet habenas. Iob 12.

Hæc cum omnium fidelium in Christo Spiritualis sit Mater, nemo debet renuere NB. Illius feriri disciplina, vel emendari censura iuxta illa prouerbia Salomonis:. Ne dimittas legem matris tuæ, liga eam in corde tuo iugiter. Qui ènim abijcit disciplinam infelix est: Et stultus homo despicit Matrem suam: Et rursus: Est maledictus à Deo; qui exasperat matrem: & maledictio matris eradicat fundamenta; Illa vtiq; quæ arroganter diuisa a sede illius (cui dictum est: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam) & super arenam concupiscentiæ carnalis, seu humanæ præsumptionis probantur posita: Cursus riui minimè prosperatur, si à suo fonte diuidatur.

Ecclesia Romana Mater fidei, & omnium fidelium.

Pro. 16-18. Ecclesi. 3.

Maledicti ergo hæretici, & Schismatici, qui nolunt obedire Ecclesiæ Romanæ.

Matth. 16.

S. Cyprianus epist. 55. vel libr. 1. Epist. 3.

Postquam ostendisset hæreses exortas esse, quod vnus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus iudex vice Christi (id est Romanus pontifex) non cogitaretur, subiungit hæc verba;

Nauigare audent ad Petri cathedram atq; ad Ecclesiam Principalem, vnde vnitas Sacerdotalis exorta est, à Schismaticis & profanis literas ferre. Nec cogitare eos esse Romanos (quorũ fides Apostolo prædicante, laudata est) ad quos perfidia habere non poßit accessum? Vides ô miser qui contemnis Romanum Pontificem, & Ecclesiam Romanam, si vis habere, verã fidem & saluari, quod oporteat te ire Romam & inde petere, ad quam perfidia id est, mala fides & error non potest habere accessum, hoc est, quæ semper habet & habebit & alijs communicabit veram fidem.

Eat Romam qui vult habere veram fidem.

S. Cyprianus de vnitate Ecclesiæ, dist. 93. c. 3.

Qui Cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia deserit, in Ecclesia se non esse confidat

S. Hieronymus ad Damasum Papam in expositione Symboli. Vide causam. 24. q. 1. c. 14.

S. Hieronymus subiicit sua scripta Papæ approbanda.

Hæc est fides, Papa beatißime, quam in Ecclesia Catholica didicimus, quamq; semper tenuimus; In qua si minus peritè, aut parum cautè fortè ali-

tè aliquid positum est; emendari cupimus à te, qui Petri & fidem & sedem tenes. Sin autem hæc nostra confeßio Apostolatus tui iudicio comprobatur, Quicunq; me culpare voluerit, se imperitum, vel maleuolum, vel etiam non Catholicum, non me hæreticum comprobabit. Item:

Sancta Romana Ecclesia, quæ semper immaculata mansit, & Domino prouidente, & Beato Petro Apostolo opem ferente, in futuro, N B. manebit, sine vlla hæreticorum insultatione (præualente firma, & immobilis (in fide) omni tempore persistet. Romana Ecclesia semper habebit veram fidem, & semper habuit.

S. Gregorius in moralibus lib. 35. cap. 6. causa. 24. C. 22.

Quia ex sola Ecclesia Catholica veritas conspicitur, apud se esse locum Dominus perhibet, de quo videatur. In petra Moyses ponitur, vt Dei Speciem contempletur: Quia nisi quis fidei soliditatem tenuerit, diuinam præsentiam non cognoscit, de qua soliditate Dominus dicit: Super hanc petram ædificabo (Ecclesiam meam) Sola quippe est, per quam sacrificium Dominus libenter accipiat: Sola, quæ pro errantibus fiducialiter intercedat. Vnde etiam de agni hostia Dominus præcepit, dicens: In vna domo comedetur, nec efferetis de carnibus eius foras. In vna namq; domo agnus comeditur: Quia in vna Catholica Ecclesia vera hostia Redemptoris immolatur. De cuius carnibus diuina lex efferri foras prohibet: Quia sanctum dari canibus vetat. Sola est in qua Extra Ecclesiam Romanam nemo placet Deo. Matth. 7

 bonum

bonum fructuosè peragitur: Vnde & mercedem denarij non nisi qui intra vineam laborauerant, acceperunt. Sola est, quæ intra se positos valida charitatis cōpage custodit. vnde & aqua Diluuij Arcam quidem ad sublimiora sustulit: Omnes autem quos extra Arcam inuenit, extinxit.

S. Hieronymus ad Damasum Papam cum in oriente hæreses exortæ essent, scribit, vt se doceat quid sequi debeat, his verbis, que habentur cau a 24. q. 1. cap. 25.

QVoniam vetusto Oriens inter se populorum furore collisus indiscissam Domini Tunicam, & desuper textam per frusta discerpit: Et Christi vineam vulpes exterminant, vt inter lacus contritos qui non habent aquam, difficile, vbi fons signatus, & hortus ille conclusus sit possit intelligi, Ideo mihi Cathedram Petri, & fidem Apostolico ore laudatam censui consulendam. Inde nunc meæ animæ postulans cibum, vnde olim Christi vestimenta suscepi. Neq; verò tanta vastitas elementi liquentis, & interiacens longitudo terrarum me à pretiosæ Margaritæ potuit inquisitione prohibere. Vbicunq; fuerit corpus, illuc congregantur aquilæ. Profligato à sobole malâ patrimonio. Apud vos solos incorrupta patrum seruatur hæreditas. Ibi cespite terra fæcundo Dominici seminis puritatem centeno fructu refert. Hic obruta sulcis frumenta in lolium, auenasq; degenerant.

Eant Romam qui volunt habere verã fidem

In sola Ecclesia Romana Euangelium semper conseruatur purum.

Nunc

Nunc in occidente sol iustitiæ oritur: In oriente autem Lucifer ille qui ceciderat, supra sydera posuit thronum suum.

Vos estis lux mundi, vos sal terræ, vos aurea vasa & argentea: Hîc testacea vasa vel lignea virgâ ferreâ, & æterno operiuntur incendio. Quanquā igitur tui me terreat Magnitudo, inuitat tamē humanitas. A sacerdote victima salutem, à Pastore præsidium ouis flagito. Fatiscat inuidia Romani culminis, recidat ambitio. Cum successore Piscatoris, & discipulo crucis loquor. Ego nullum primum nisi Christum sequens, Beatitudini tuæ, id est, Cathedræ Petri communione consocior. Super illam petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicunq; extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Si quis in Arca Noë non fuerit peribit regnante Diluuio. Et quia pro meis facinoribus ad eam solitudinem commigraui, quæ Syriam iuncto Barbariæ fine determinat, nec possum Sanctum Domini tot interiacentibus spatijs, à sanctimoniâ tuâ semper expetere, ideo hîc colligas tuos AEgyptios confessores sequor & sub onerarijs nauibus parua nauicula delitesco.

Qui extra Ecclesiam Romanam Sacramentis vtitur prophanus est.

Non noui vitalem: Melitum respuo: ignoro Paulinum, Quicunq; tecum non colligit spargit, hoc est qui Christi non est, Antichristi est.

Quicunque cum Papa non sentit peribit.

Non

S.Irenæus lib.3.cap.3.

Quicunque cum Papa non sentit peribit.

Maxima, & antiquißima & omnibus cognita à gloriosißimis duobus Apostolis Petro & Paulo Romæ fundata & constituta Ecclesia, eam quā habet ab Apostolis tarditionem, & annunciatam omnib. fidem. per successiones Episcoporum peruenientem vsque ad nos, indicantes, confundimus eos, qui quoquo modo, vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem, & malam scientiam, præterquam oportet, colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem conuenire Ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt vndique fideles. In quâ semper ab his, qui sunt vndique fideles conseruata est ea, quæ ab Apostolis est traditio.

Omnes qui volunt saluari cum Ecclesia Romana conuenire debent.

Epiphanius hæresi. 68. quæ est Miletianorum.

Vrsacius, inquit, & Valens pænitentiam agentes, vnà cum libellis profecti sunt, ad B.Iulium Romanum Episcopum pro ratione reddenda de suo errore ac delicto. Hîc vides quod pænitentiam agentes Romano se subijciunt & obediunt Pontifici, & illius decreta sequi expetunt. Cur hoc? Quia cognouerunt quod Papæ repugnantes Christo placere, & saluari non possent.

Qui repugnant Papæ saluari non possunt.

S.Athanasius in secunda Apologia eosdem Episcopos à B.Iulio veniam delecti petiuisse testatur. Et in epistola ad Felicem Papam, ait.

OB id vos, Prædecessoresq; vestros, Apostolicos videlicet Præsules in summitatis arce constituit (Christus) omniumq; Ecclesiarum curam habere præcepit, vt nobis succurratis.

Et Epist. ad Marcum Papam Anno 341.

DOmino sancto & Apostolici culminis venerando Marco, Sanctæ Romanæ & Apostolicæ sedis, atque vniuersalis Ecclesiæ Papæ Athanasius, & vniuersia Egyptiorum Episcopi salutem.

Optamus à vestra sanctæ sedis Ecclesia authoritate, quæ est Mater & Caput omnium Ecclesiarum, ea ad correptionẽ & recreationem fidelium orthodoxorum percipere per præsentes Legatos mereamur. Et Epistola ad Felicem II Papam. Pater Beatissime, quia semper Antecessores nostri, & nos, à vestra Apostolica sancta sede auxilium hausimus, & nostri vos curam habere cognouimus præfatam Apostolicam & summam expetimus, iuxta Canonum decreta, sedem, vt inde auxilium capiamus, vnde Prædecessores nostri ordinationes & dogmata, atque subleuationes

Ecclesia Romana est Mater nostra.

tiones ceperunt: Ad eam quoque quasi ad Matrē recurrimus, vt eius vberibus nutriamur; quoniam non potest Mater obliuisci infantem suum: Sic & vos nolite obliuisci nos vobis commissos.

Vides S. Athanasium confiteri Papam esse à Christo super omnes Ecclesias constitutum & ob id omnes Christiani eius Decretis obedire tenentur.

S. Basilius in Epist. 52. ad Athanasium.

Visum est, inquit, consentaneum, scribere ad Episcopum Romanum, vt videat res nostras, & iudicij sui decretum interponat, vt quia difficile est, aliquos inde de Concilij sententia mitti, ipse authoritatem rei tribuat delectis viris, qui laborem quidem itineris perferre poßint, Lenitate verò ac facilitate morum, tum commoda & prudenti Oratione eos qui à rectâ viâ deflexerunt, monere, quique acta Ariminensis Concilij secum ferant, ad ea rescindenda, quæ illic violenter acta sunt. Sancti patres nihil volebant recipere, aut credere, nisi quæ Papa Romanus approbasset. Cur ita? Quia sciebant ex verbo Dei, eum constitutum esse à Christo Iesu in Petro, Pastorem, Rectorem, & confirmatorē in rebus fidei omnium fidelium Christianorum.

Papa omnes confirmat in fide.

S. Io-

S.Iohannes Chryſoſtomus in Epiſt. 1. ad Innocentium Papam. Matt.16. Luc.22. Ioh.21.

OBſecro, inquit, vt ſcribas, quod hæc tam iniquè facta non habeant robur; Illi autem qui iniquè egerunt pœnæ Eccleſiaſticarum legum ſubiaceant. Vide quod etiam Magnus Patriarcha Conſtantinopolitanus & vir Sanctiſsimus ſimul & doctiſsimus per ſe facta iniqua errantium non potuit, neq; voluit reſcindere, niſi Papa Romanus ſuum decretum, mandatum & authoritatem interponeret. O quàm longè hodierni Patriarchæ Conſtantinopolitani à viro illo ſanctiſsimo degenerarunt, ac ob id mancipia Turcarum & Inferorum facti, vt & reliquis accidet qui idem faciunt.

Papæ inobedientes fiunt mancipia Turcarum, & Dæmonis.

S.Cyrillus in libro Theſauri.

PEtro, inquit, omnes iure diuino caput inclinant, & Primates mundi tanquam ipſi Domino Ieſu obediunt. Item. Debemus nos, vt qui membra ſumus capiti noſtro Romano Pontifici, & Apoſtolicæ ſedi adhærere. Vides quod Romano Pontifici, tanquam ipſi Chriſto debeamus obedire iuxta illud: Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit.

Omnes Papæ vt ipſi Chriſto obedire tenentur.

Matth 10.

Theodoretus in Epist. ad Leonem Papam.

EGo, inquit, Apostolicæ vestræ sedis exspecto sententiam, & supplico & obsecro vestram Sanctitatem, vt mihi opem ferat iustum vestrũ & rectum appellanti iudicium, & iubeat ad vos accurrere, & ostendere meam doctrinam vestigia Apostolica sequentem. Item in Epistola ad Renatum Præsbyterum Romanum: Spoliarunt, inquit, me sacerdotio, Eiecerũtq; ex ciuitatibus, neq; ætatem in Religione exactam neq; caniciem reueriti.

Ex toto mundo Romam appellant.

Quamobrem te precor, vt sanctißimo Archiepiscopo Leoni persuadeas, vt Apostolica vtatur authoritate, iubeatq; ad vestrum concilium adire. Tenet enim sancta ista sedes gubernacula regendarum cuncti orbis Ecclesiarum.

Impp. Theodosius & valentinianus A. A. Accio viro illustri, Comiti & Magistro vtriusque Militiæ In Nouell. C. Theodos. Tit. 14.

NOstra præceptio & ratio probauit ne cuiquam præceptis Romani Antistitis liceat obuiare. Ausibus enim talibus fides & reuerentia nostri violatur imperij, nec hoc solum, quod est maximi criminis submouimus; verum ne leuis saltem inter Ecclesias turba nascatur, vel in aliquo minui religionis disciplina videatur, hoc perenni sanctione decernimus, ne quid tam Episcopis Gallicanis quam aliarum prouinciarum (audiant hoc hæretici, & menti infigant) contra consue-

Romana caput omnium Ecclesiarum.

consuetudinem veterum liceat sine viri venerabilis Papæ vrbis æternæ autoritate tentare, sed illis, omnibusq; pro lege sit, quicquid sanxit, vel sanxerit Apostolicæ sedis autoritas; ita vt quisquis Episcoporum ad iudicium Romani Antistitis euocatus venire neglexerit, per moderatorem eiusdem prouinciæ adesse cogatur, per omnia seruatis quæ Diui Parentis nostri Romanæ Ecclesiæ detulerunt. Vid. Thom. Bozium lib. 18. cap. 4. *de sig. Ecclesiæ.*

Imperator Iustinianus senior in Epist. ad Ioannem II. quæ habetur in Codice in primo Titulo.

Nec enim, inquit, patimur quidquam quod ad Ecclesiarum statum pertinet, quod non etiam vestræ innotescat sanctitati, quæ CAPVT *EST OMNIVM SANCTARVM ECCLESIARVM.* Romana caput omnium Ecclesiarum.

Valentinianus Imperator in Epistola ad Theodosium quæ extat inter præambulas ad concilium Chalcedonense.

Debemus, inquit, dignitatem propriæ venerationis B. Apostolo Petro in nostris temporibus conseruare; quatenus Beatissimus Romanæ ciuitatis Episcopus, cui Principatum Sacerdotij super omnes Antiquitas contulit, locum habeat & facultatem DE FIDE, ET *SACERDOTIBVS IVDICANDI.*

Si igitur aliquis dubitat an veram habeat fidem eat Romam, & ibi à Romano Pontifice fides, & Minister

 iudici-

verbi, debent à Papa approbari, alioqui non valent, & fugiendi vt pestes.

iudicium sumat quam fidem debeat sequi, & sic nunquam errabit. Item Minister verbi, vel Prædicator verbi Dei non debet audiri nec credi nisi Romanus Pontifex iudicet & pronunciet per se, vel per suos subdelegatos, talem esse audiendum si autem vetat talem audire, fugiendus est vt pestis.

B. Cyprianus lib. 1. Epist. 3. ad Cornelium vbi loquens de Nouatianis qui contemnebant Pontificem Romanum sic ait.

Inde hæreses & Schismata, quod Papæ non obtemperatur.

NEq; enim aliunde hæreses obortæ sunt, aut nata sunt Schismata, quam inde quod sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus iudex vice Christi (id est, Papa) cogitatur. Cui si secũdum magisteria diuina obtemperaret fraternitas vniuersa, nemo aduersus Sacerdotum Collegium quidquam moueret &c.

Idem lib. 1. Epist. 8. ad plebem vniuersam.

Aliud Sacerdotium vel ministerium verbi quam Romanũ fieri non potest.

DEus vnus est, & vna Ecclesia, & Cathedra vna super Petrum Domini voce fundata. Aliud altare constitui, aut Sacerdotium nouum fieri, præter vnum altare, & vnum Sacerdotium non potest. Quisquis alibi collegerit, spargit, hoc est, vt dicit S. Hieronymus, qui cum Romano Pontifice, & Romana Ecclesia, non colligit & sentit, peribit.

Idem lib. De vnitate Ecclesię.

HOc eo fit (quod hæreses & schismata oriantur) dum ad veritatis originem non reditur

reditur, neq; Caput (id est, Papa) quæritur, nec magistri Cælestis doctrina seruatur id est Christi, Qui iußit in dubio summum adire Pontificem, vt ab eo in dubijs confirmemur. Pergit S. Cyprianus eodem loco: *Loquitur, aiens, Dominus ad Petrum: Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam & portæ inferorum non vincent eam: Et eidem post resurrectionem suam dicit:* Pasce oues meas &c: *Quo dicto Cyprianus vult inferre Dominum saluatorem in Petro fundasse Ecclesiam suam super Romanos Pontifices, eisq; dedisse mandatum, siue imperasse pascere, hoc est, docere & regere omnes oues & agnos Christi, id est, omnes Christianos in fide, & rebus spiritualibus quæ spectant ad animam. Et per consequens, omnes Christianos ab illis debere petere veram doctrinam, & nutrimenta animarum suarum, eisq; in omnibus obedire.*

Luc. 22.

Matth. 16.

Ioh. 21.

Super Romanos Pontifices in Petro Christus fundauit Ecclesiam.

B. Ambrosius in Cap. 3. primo ad Timoth:

CVm totus mundus, inquit, Dei sit, tamen domus eius Ecclesia dicitur, cuius hodie Rector est Damasus. Vides hic B. Ambrosium apertè vocare Ecclesiam Romanam, domum Dei, id est, veram Dei Ecclesiam, nam Damasus erat tum summus Romanus Pontifex qui non aliam regebat Ecclesiam quàm Ecclesiam Romanam. Idem in oratione in Satyrum: Percunctatus, inquit, Episcopum esset si cum Episcopis Catholicis, hoc est: si cum Romana Ecclesia conueniret. Vides hic

Ecclesia Romana domus Dei.

Illi tantum sunt Catholici qui cùm Romana conueniũt Ecclesia.

des hîc quod illi tantum sint Catholici, qui cum Romana Ecclesia conueniunt. idem lib. 3. de Sacramentis, cap. 1. *Non ignoramus, ait, quod Ecclesia Romana hanc consuetudinem non habet, cuius typum in omnibus sequimur & formam. Et infra: In omnibus, inquit, sequi cupio Ecclesiã Romanam. Cur quæso per Deum immortalem! sanctißimus & doctißimus hic vir illos tantum Catholicos pronuntiat, qui cum Ecclsia Romana conueniunt? Cur ille ipse (qui in sanctitate vitæ, & doctrina & eruditione ipsos Pontifices Romanos superabat) in omnibus typum Romanæ Ecclesiæ & ipsam Romanam Ecclesiam in cunctis cupiebat sequi & sequebatur? Nisi quod ex verbo Dei didicerat Romanã Ecclesiam esse solum Catholicam à Christo constitutam, id est, vniuersalem Matrem super totum orbem terrarum ad quam omnes gentes conuerti debebant. Et cui omnes ex mandato Christi obedire & sequi tenentur, siue sint Imperatores siue Episcopi, siue Reges & Principes, siue doctores, & doctißimi, sanctißimiq; siue idiotæ, ignari & prophani siue magni, siue parui, cuiuscunq; generis & sexus tandem sint, si volunt habere veritatem, Euangelium, verbum Dei, & veram fidem, & saluari, vtpote quæ in hac essentialiter, verè & inuiolata à Christo Domino conseruantur in æternum. Extra hanc verò non inueniantur nisi secundum apparentiam, speciem externam, & falsificata, & veneno mortifero infecta ita vt non dent vitã*

Matth. 16. 18. Luc 22. Iohan. 21. Imperatores, Reges & Principes, Docti & indocti, Sancti, & alij, omnes coguntur sequi Ecclesiam Romanam si volunt habere veritatem, & saluari;

sed

sed seducant & præcipitent homines in mortẽ æternam. Et hoc confirmant iterum.

S. Gregorius Nazianzenus in Carmine de vita sua.

VRbē dicit, Romanam Ecclesiam semper conseruasse veram de Deo sententiam, vt decet vrbem quæ toto orbi præsidet.

S. Augustinus in Epist. 162.

IN Romana, inquit, Ecclesia semper Apostolicæ Cathedræ viguit Principatus. Item Epist. 92. ad Innocentium Papam. Quia te Dominus gratiæ suo præcipuo munere in Sede Apostolica collocauit, talemq́; nostris temporibus præstitit; vt nobis potius ad culpam negligentiæ, valeat, si apud tuam Venerationem, quæ pro Ecclesia suggerenda sunt tacuerimus, quam ea tu possis vel fastidiosè, vel negligenter accipere, magnis periculis infirmorum membrorum Christi Pastoralem diligentiam, quæsumus, adhibere digneris. Cur quæso hic S. Pater & vir doctißimus & magnæ authoritatis non suæ Cathedræ Episcopali, sed Romanæ Ecclesiæ tribuit Principatum; Cur non ipse correxit? cur non ipse Pastoralem diligentiā adhibuit? cū esset ipse Episcopus, & vir omni genere doctrinæ & sanctitatis instructißimus & per totum orbem terrarum magnus & celeberrimus Cur ea, quæso, quæ pro tota Ecclesia faciebant, apud venerationem Romani Pontificis timuit tacere,

Epist. 92.

Papa corrigere debet quæ totam tangunt Ecclesiam.

cere, ne negligentiæ culpam incurreret: nisi quod sciret Romanum Pontificem à Domino Iesu in Petro accepisse principatum super omnem Ecclesiam, & curam pascendi, regendi, & corrigendi omnes qui sunt vndiq; Christiani. Cui & ipse, & omnes homines obedire & sequi debeant, si velint ad vitam ingredi æternam, vt ait etiam his verbis.

Concilium Nicænum.

SIcut ille qui tenet sedem Romæ, caput est & Princeps omnium Patriarcharum, quandoquidem ipse est primus, sicut Petrus cui data est omnis potestas in omnes Prinicpes, Christianos, & omnes populos eorum, vt qui sit Vicarius Christi Domini nostri super cunctos populos, & vniuersam Ecclesiam Christianam. Et quicunq; contradixerint excommunicentur. vide Tho: Bozium de signis Ecclesiæ lib. 18. cap. 3. per totum. vbi idem confirmant Concil. Chalcedonense, Ephesinum &c.

Maximinianus Constantinopolitanus Epist. ad orientales Anno 430. idem dicit his verbis.

OMnes fines terræ, quæ Dominum syncerè receperunt, & vbique terrarum Catholici, veram fidem confitentes, in Potestatem Romanorum Pontificum, tanquam in solem respiciunt: Et ex ipsa lumen Catholicæ & Apostolicæ fidei recipiunt &c. Si ergo cæcus, dubius & palpitans

Ex Roma lumen fidei petendum.

tans

tans es in fide eas Romam, vt inde lumen & certitudinem accipias, vnde totus mundus lumen rectæ fidei recipit, & recipere debet. Luc. 22. Ioh. 2.

S. Prosper libro de ingratis.

SEdes, Roma, Petri, quæ Pastoralis honoris facta caput mundo, quidquid non possidet armis Religione tenet. Vide quod Roma totum mundum Religione tenet. Multa Roma possidebat armis, sed quidquid armis non tenebat, Religione regebat; hoc est totum orbem terrarum, & omnes homines in mundo qui Deo placere volunt. Idem Prosper in libro de vocatione gentium cap. 6. Roma, inquit, per Sacerdotij Principatum amplior facta est arce Religionis quàm Solio potestatis. Nam armis & solio potestatis non tenebat, nisi magnam partem mundi, sed Religione occupat totum, nihil excepto, si modo vult saluari. Omnes enim homines totius mundi siue velint, siue nolint, Romano debent obedire Pontifici si ad vitam æternam ingredi desiderant, nam ille in fide nunquam errauit, errat, neque errabit vt ex verbo Dei aiunt & asseuerant.

Roma per fidem & Religionẽ totum occupat mũdum.

Matth. 16. 18. Luc. 22. Ioh. 21.

S. Lucius Papa Episcopis Galliæ & Hispàniæ, Causa 24. q. 1. cap. 9.

HAEC sancta (Romana) & Apostolica Mater omnium Ecclesiarum Christi, Ecclesia, quæ per Dei omnipotentis gratiam à tramite Apostolicæ traditionis nunquam errasse probatur, nec hæreticis nouitatibus deprauata succubuit:

Romana Ecclesia eam fidem quam ab Apostolis Petro & Paulo accepit sine vllo errore vsque ad finem mundi conseruat.

sed vt in exordio normam fidei Christianæ percepit ab Authoribus Apostolorum Principibus (Petro & Paulo) illibata fine tenus manet. Vides quod vsq; ad finem mundi Romana Ecclesia sine errore permanebit. Sequamur ergo illam cum S. Ambrosio & reliquis Sanctis, in omnibus, si non velimus errare.

S.Sixtus Papa qui ante 1300 annos sanguinem suum pro Christo effudit Epistola ad Gratum ait.cap.10.ibidem.

Romana Ecclesia omnes errores destruit.

R*omanæ Ecclesiæ fides nullam hæresim vnquam fouit. Eius fides nullum vnquam fallit, Sed omnes quidem hæreses destruit. Hic S. Sixtus dicit infinite quod nunquam aliquem fallit sed omnes hæreses destruit. Si nunquam, ergo in æternum permanebit incorrupta.*

Tertullianus de Præscriptione aduers.hæres.circa medium.

Ex Romana Ecclesia reliquæ authoritatem habent.

S*I Italiæ, inquit, adiaces, habes Romam, vnde nobis quoque authoritas præsto est. Fælix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt.*

Optatus Mileuitanus contra Parmen. lib. 2.post princ.

I*Gitur negare non potes, inquit, scire te in vrbe Roma Petro primò Cathedram Episcopalem esse*

esse collocatam, in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus. In qua vna Cathedra vnitas ab omnibus seruaretur, ne cæteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent. Cur in Romana Cathedra vnitas ab omnibus seruari debet, nisi quod omnes in illius fide vniri debeamus, vtpote quæ errare non poßit, cum Christus in Petro pro hac sola orauerit, ne fides ipsius deficeret; vt hoc pulchrè dicit ex Luc. 22. de Romana Ecclesia.

S Petrus primus Papa.

S. Bernardus epist. 190. in principio.

DIgnum namque arbitror, inquiens, ibi potißimum resarciri damna fidei, Vbi non poßit fides. NB. *sentire defectum: Hæc quippe huius prærogatiuæ sedis. Cui enim alteri aliquando dictum est: Ego pro te rogaui. Petre, vt non deficiat fides tua? vides quod in Romana Ecclesia vera fides non poßit deficere. Idem dicit.*

In fide dubius eat Romam, vt ibi confirmetur, nã ibi vera fides non potest perire.

Eusebius Papa Episcopis Thusciæ, epist. 3. Causa 24. q. 1. c. 11.

IN Sede Apostolica (Romana) extra maculam semper est Catholica seruata Religio.

Romæ semper sine macula est vera fides.

S. Augustinus in lib. de vtilit. credendi cap. 7. prope fin. de Ecclesia Romana loquens ait:

DVbitamus nos eius Ecclesiæ condere gremio,

mio, quæ vsque ad confeßionem generis humani, ab Apostolica sede per succeßiones Episcoporum, frustrà hæreticis circumlatrantibus, & partim plebis ipsius iudicio, partim Conciliorum grauitate, partim etiam miraculorũ maiestate damnatis, culmen authoritatis obtinuit? Cui nolle primitias dare (id est, cui nolle obedire, & sequi nã qui primatum habet, ei omnes reliqui obedire & sequi tenentur) vel summæ profectò impietatis est, vel præcipitis arrogantiæ. Omnes ergo qui Romano Pontifici obedire & sequi in rebus fidei nolunt, vel sunt extremè impij, vel præcipitantes arrogantes.

In sola Ecclesia Romana sunt miracula, quia ibi tantum Deus habitat.

S. Augustinus contra Epistolam Fundamenti. Cap. 4.

Ioh. 21.

MVlta sunt, quæ in Ecclesiæ gremio me iustißimè teneant: tenet consensus populorum atque gentium; tenet authoritas miraculũ inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata: Tenet ab ipsa Sede Petri Apostoli, cui pascendas oues suas post resurrectionem Dominus commendauit, vsque ad præsentem Episcopatum, succeßio Sacerdotum: Tenet postremò ipsum Catholicæ nomen; quod non sine causa inter tàm multas hæreses sic ista Ecclesia sola obtinuit, vt etiamsi omnes hæretici se Catholicos dici velint. Quærenti tamen peregrino alicui, vbi ad Catholicam conueniatur, nullus hæreticorum vel basilicam

licam ſuam, vel domum audeat oſtendere. Iſta ergo tot & tanta Chriſtiani nominis chariſſima vincula, rectè hominem tenent credentem in Catholica Eccleſia &c. Si veneris in aliquam ciuitatem hæreticam, & quæſiueris, Eſt ne hîc aliqua Eccleſia Catholica? & ſi ibi eſt aliqua Eccleſia Papiſtica, reſpondebunt ipſi hæretici ſic: Eſt hic adhuc monaſterium S. Iohannis. S. Franciſci, vel alia. Sed ſi nulla eſt ibi Papiſtica, vel Romana, reſpondebunt, non. hic nulla eſt eccleſia Catholica. Sed ſumus hic omnes reformati, vel Euangeci, vel ſimile quid,

Sic ſi intras conuiuium vbi ſedent ad menſam diuerſæ ſectæ, vtpote Lutherani, Caluiniſtæ Mennoniſtæ &c. & quæſiueris, Eſtne hic aliquis Catholicus; & ſi ibi eſt Papiſta, ſiue Romaniſta, omnes talem indicabunt. Si autem nullus Papiſta eſt, reſpondebunt, Non, hic nullus eſt Catholicus. Sic ſi intras in Bibliothecam, vbi omnium Religionum libri habentur, & quæſiueris, Eſtne hic liber aliquis Catholicus? & ſi ibi eſt Bellarminus, vel alius liber Papiſticus, eum tibi oſtendēt, Et ſi nullus eſt ibi liber Papiſticus, vel Romaniſtarum, reſpondebunt, non; nullus eſt hic liber Catholicus. Hæc ex S. Auguſtini doctrina ſæpè tentaui, & expertus ſum veriſſima, Experire & tu, & veritatem me dicere videbis. Signum certiſſimum Romanam Eccleſiam eſſe Catholicam, & qui ei adhærent & ſequuntur eſſe Catholicos, id eſt, Romanam Eccleſiam habere Primatum

ſuper

ſuper omnes Eccleſias totius mundi, cui omnes qui volunt eſſe Catholici, & boni Chriſtiani, oueſq; veræ Chriſti, obedire tenentur. Primatum habet vt expreſſe ait ex verbo Dei:

S. Anſelmus in Epiſt. 2. ad Theſſal. cap. 2. in Med.

ROmana Eccleſia eſt cor cæterarum Eccleſiarum. Et in epiſt: ad Rom. c. 1. Col. 9. ait: Apoſtolū gratias agere Deo, primū pro Romanis, quoniam Romana Eccleſia Primatum habet inter omnes Eccleſias. Cur, quæſo, hic Sanctus vir vocat Eccleſiam Romanam cor cæterarum Eccleſiarum? niſi quod quemadmodum totum corpus vitam habet à corde: ita reliquæ Eccleſiæ vitam, id eſt, veritatem & viuificam fidem habeant ab Eccleſia Romana. Et quemadmodum ſi aliquod membrum ſeparatur & abſcinditur à corde, moritur & interit: ſic eam ſi aliqua Eccleſia, vel aliquis populus ſe ſeparat ab Eccleſia Romana vitam & veritatem & veram fidem amittit & recta tendit ad mortem æternam, niſi reuertatur & reuniatur cum ipſa.

Eccleſia Romana eſt cor cæterarum Eccleſiarum, & Primatum habet ſuper omnes.

Synodus Alexandrina in Epiſtola. 2. ad Felicem Papam in principio. de Eccleſia Romana ſic loquitur.

PRæfatam Apoſtolicam & ſummam expetimus iuxta Canonum decreta, ſedem, vt inde auxilium

ilium capiamus, vnde Prædecessores nostri ordinationes & dogmata atq; subleuationes ceperunt. Ad eam quoq; quasi ad Matrem, recurrimus, vt eius vberibus nutriamur, quoniam non potest Mater obliuisci infantem suum. Et paulo post: Ipsa est enim sacer vertex, in quo omnes Ecclesiæ vertuntur, sustentantur, & releuantur.

Ecclesia Romana est Mater nostra spiritualis.

S. Anacletus in Epist. 3. post princip. qui præsbyter ab ipso Apostolo Petro creatus.

HAEc verò, inquit, Sacrosancta Romana & Apostolica Ecclesia, non ab Apostolis, sed ab ipso Saluatore nostro Primatum & eminentiam potestatis, super vniuersas Ecclesias, ac totum Christiani populi gregem, assecuta est, sicut ipse B. Apostolo Petro dixit: Tu es Petrus & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meã. Et paulo post: Si quæ causæ, inquit difficiliores inter vos ortæ fuerint, ad huius sanctæ sedis apicem eas, quasi ad caput, referte vt Apostolico terminentur iudicio, quia sic Dominum velle, ab eoq; ita constitutum esse, antedictis testimonijs declaratur. Hæc verò Apostolica sedes cardo & caput omnium Ecclesiarum à Domino & non alio est constituta. Si Romana Ecclesia est cardo & caput omnium Ecclesiarum. Ergo quemadmodum ianua remota à cardine immota & sine vigore iacet: Et quemadmodum membrum seperatum à

Matth. 16.

Romana Ecclesia à Christo, & non à Phoca, vel alio Primatum accepit.

Est cardo. Est caput.

capite

capite moritur & interit: Sic omnis Ecclesia, imo omnis homo qui separatur ab Ecclesia Romana motum & vigorem spiritualem amittit, moritur, & perit, vt hoc exemplo omnium Ecclesiarum manifeste probatur. Ecclesiæ Græcorum, Asiæ, & Africæ se separauerunt ab Ecclesia Romana, & secum vigoremq́; omnem amiserunt & perierunt, Lutherani se segregauerunt ab Ecclesia Romana, & iam vigorem & motum amplius nõ habent, nam nihil q́; vlterius progrediuntur, sed quotidie diminuũtur & deuorãtur à Caluinistis & pereunt. Caluinistæ se etiam absciderunt ab Ecclesia Romana, & iam inter se, & cum Lutheranis dißidijs languent, & tandem deuorabuntur à Turcis vel mutuis confodientur, concident, & interibunt gladijs. Sic omnes qui se vnquam separauerunt, se separant, aut in æternum separabunt ab hoc cardine & capite perierunt, pereunt, & peribunt, & sempiterna illos sequetur confusio. Itaq; vide admirabile iudicium S. Bernardi de Romano Pontifice, vide, inquam, lege, altamente reconde, & exhorresce, vel potius obedias & sequere, ne antequam putas, pereas & descendas ad inferos. Sic enim alloquitur non vt aduletur, sed vt veritatem prodeat mundo, Eugenium Papam.

omnes qui se separant ab Ecclesia Romana pereunt.

Mirabile iudicium S. Bernardi de Romano Pontifice.

S. Ber-

S. Bernardus lib. 2. de Consideratione.

AGe indagemus adhuc diligentius quis sis, quam geras videlicet pro tempore, personam in Ecclesia Dei. Quis es? Sacerdos magnus, Summus Pontifex. Tu Princeps Episcoporum, tu hæres Apostolorum, Tu Primatu Abel, Gubernatu Noë, Patriarchatu Abraham, Ordine Melchisedech, Dignitate Aaron, Authoritate Moyses, Iudicatu Samuel, Potestate Petrus, Vnctione Christus. Tu es, cui claues traditæ, cui oues creditæ sunt. Papa super omnes.

Sunt quidem & alij cœli ianitores, gregumq́ Pastores, sed tu tantò gloriosius, quantó & differentius vtrumq; præ cæteris nomen hæreditasti. Habēt illi sibi assignatos greges, singuli, singulos; tibi vniuersi crediti, vni vnus, nec modò ouium, sed & Pastorum. Tu vnus omnium Pastor. Et infrà: Ergo iuxta Canones tuos alij in partem solicitudinis, Tu in plenitudinem potestatis vocatus es. Aliorum potestas certis arctatur limitibus? Tua extēditur & in ipsos qui potestatē super alios acceperunt. Nonne si causa exstiterit, Tu Episcopo cœlum claudere, Tu ipsum ab Episcopatu deponere, etiam & tradere sathanæ potes? Stat ergo inconcussum priuilegium tuum tibi, tàm in datis clauibus, quam ouibus commendatis.

Ioh, 21.

Ioh. 21.

Papa super omnes Episcopos.

Hæc ille vir (Teste Caluino) sanctus, Et sine Caluino, testibus innumerabilibus miraculis. Et Caluinus eum pro se adfert & sanctum vocat lib. 4. Instit: cap. 7. §. 22. At sanctitas sine vera fide esse

S. Bernardus etiam ab Hæreticis pro Sancto habetur.

esse non potest, verâ igitur fide S. Bernardus credebat, Romanum Pontificem esse Pastorem vniuersæ Ecclesiæ, cui omnes tenentur obedire qui ad vitam æternam ingredi desiderant.

2.Timot.3. *Quæ cum ita sint, schismatici sunt, hæretici sunt, Rebelles sunt, homines sunt se ipsos amantes cupidi, elati, superbi, blasphemi, Parentibus (id est, Sanctis patribus, & legitimis Pastoribus, & Matri Ecclesiæ) inobedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, Proditores, & proterui, tumidi, cæci, & voluptatum amatores magis quam Dei, habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes, semper discentes, & nunquam ad scientiam veritatis peruenientes. Mali homines & seductores, qui semper proficient in peius, errantes & in errorem mittentes, homines sunt corrupti mente, reprobi circa fidem. Magistri mendaces qui post carnem in concupiscentia immundiciæ ambulant, audaces, sibi placentes, sectas non metuūt introducere, qui velut irrationabilia pecora, naturaliter in captionem & in perniciem ruunt. Quæ ignorant blasphemantes, fontes sine aqua, & nebulæ turbinibus exagitatæ, in errore conuersantur, libertatem hominibus promittentes, cum ipsi sint serui corruptionis, Pellicientes animas instabiles, cor exercitatum in auaritia habentes, maledictionis filij, derelinquentes rectam viam semper errant. Sunt in deceptione illusores, iuxta proprias*

Quales sint qui Papam contemnunt.

2.Pet.2.3.

con-

concupiscentias ambulantes in impietatibus, Murmuratores, querulosi. Quæcunque quidem ignorant blasphemant: Quæcunque autem naturaliter tanquam bruta animalia norunt, his corrumpuntur, Nubes sine aqua quæ à ventis circumferuntur, arbores autumnales, infructuosæ, bis mortuæ eradicatæ, fluctus feri maris despumantes suas confusiones, sydera errantia, qui segregant semetipsos ab Ecclesia Catholica Rom. vt post sua desideria ambulent animales, spiritũ non habentes, os eorum loquitur superbiam. Et Dominationem contẽnunt & spernũt, Maiestatẽ aũt blasphemãt, hoc est, Legitimos Põtifices, Episcopos, Pastores, Imperatores, Reges, Principes & Magistratus reÿciunt, & multis conuitiis & blasphemiis onerant & exagitant, vt tantò liberius secundum sua propria desideria, & carnis concupiscentiam ambulare possint. Sed vltrâ non proficient, insipientia enim eorum manifesta erit omnibus, superducentes sibi celerem perditionem in corruptione sua peribunt, percipientes mercedem iniustitiæ. Nam caligo & procella tenebrarum ipsis reseruata est in omnem æternitatem, Qui contra totam scripturam Sacram, contra tot insignes doctrina & Sanctitate Patres, contra tot Imperatores Reges, Principes, & populos pios & sanctos, contra omnia iura tã diuina quã humana, Ecclesiam Rom. & Pont. Rom. non solũ contemnere, sed ipsam Synagogam Antichristi & Romanum Pontificem blasphemo & scelerato ore audent Antichristum appellare. At contra

Iudæ. 1.

Omnibus sceleribus pleni sunt qui Papam audent appellare Antichristũ.

tra Hispani obedientes sunt filij Dei, fælices & beati sunt, omni laude dignißmi sunt quod Romanam Ecclesiam Matrem suam & omnium Christianorum, & Romanum Pontificem Vicarium Christi & Rectorem b *Domus Dei, summa reuerentia, & honore prosequantur, & omnibus viribus, opibus & armis protegant, defendant & amplificent. Et semper proficient vlterius, & fundamenta eorum radices agent quotidie longius latiusq; firmißimas, eruntq; terror omnium gentium, & præcipuè hæreticorum, splendorq; & gloria æterni luminis ipsis reseruata sunt in sæcula sæculorum si ita semper perrexerint in obediendo, honorando, & defendendo Romanam Ecclesiã sponsam Christi, & patrem* a *omniũ Christianorum Romanum Pontificem. Sed pergamus ad alia. Scriptum est in iure Canonico: Ecclesiæ Principes, qui delicijs affluunt, & inter epulas atq; lasciuias pudicitiam seruare se credunt prophetícus sermo describit? Quod eijciendi sint de spatiosis domibus, lautisq; conuiuijs, & multo labore epulis cõquisitis, eijcietur propter malas cogitationes & opera sua. Et si vis scire, quò eijciendi sunt, Euangelium lege: In tenebras scilicet exteriores vbi erit fletus & stridor dentium. An non confusio & ignominia est, Iesum Crucifixũ, Magistrum pauperem atq; esurientem fartis prædicare corporibus? Ieiuniorumq; doctinam rubentes buccas, tumentiaq; ora proferre? Si in Apostolorum loco sumus, non solum sermonem eorum imitemur, sed conuersationem quoq;, &*

b S. Ambr. in cap. 3. 1. Tim.

a S. Aug. to. 2. epist. 162. ad Episc. Donatist. dist. 35. c. 4. Mich. 2. Matt. 22.

Vinum Sacerdotibus fugiẽdum, & crapula, ac etiam reliquis.

abstinentiam amplectamur.c. 3. Luxuriosa res vinum, & tumultuosa ebrietas: Omnis qui cum his miscetur, non erit sapiens. C.5. Venter mero estuans citò despumat in libidines. Vbi ebrietas, ibi libido dominatur & furor. C.6. Vinolentum, Sacerdotem & Apostolus damnat, & vetus lex prohibet, sacerdotes qui ministrant in templo Dei, probibentur vinum & siceram bibere, ne in crapula, & ebrietate aggrauentur corda eorum. siceram Hebræo sermone omnis potio nuncupatur, quæ inebriare potest. Quidquid inebriat & statum mentis euertit, fuge similiter vt vinum. Nolite, ait Apostolus inebriari vino, in quo est luxuria. Qui altario deseruiunt, vinum & siceră non bibant, sponsa Christi vinum fugiat vt venenum: vinum & ebrietas incendium est. C.7. luxuriam facit, & nutrit vini perceptio nimia, non natura. C. 9. Ante omnia Clericis vitetur ebrietas, quæ omnium vitiorum fomes, ac nutrix est. itaq; eũ quẽ ebrium fuisse cõstiterit (vt ordo patitur) aut triginta dierũ spatio à cõmunione statuimus submouẽdũ, aut corporali subdendũ supplicio. Hoc Hispani tă strictè obseruăt vt nunquă ibi videas Sacerdotẽ crapula & vino captũ & grauatũ, & si videretur fieret infamis. Dică quod mihi ibi accidit: Erat quidă sacerdos Germanus mihi amicissimus, & vir alioqui pijssimus & bonus hîc fuerat in prădio apud suos patriotas qui more suo plus vino suos onerare solẽt quam decet, inde rediens transit nostram domum, & me vidit

C. 3. C. 5. C. 6. In vino luxuria, & peruersio mentis. c. 7. c. 9.

ſtantẽ in ianua, accurrit ad me & dixit; Mi Do[...] *ganck, abſconde me vſque ad veſperam vt in te-nebris redeam domum, ne Hiſpani animad[uer]tant me vino vacillare, nam ſi perciperent, [...] forem honore priuatus & nunquam auderem [a]dire ad Sacellum Regis.*

Sed quid dico de Clericis? Ebrietas eſt tale [vi]tium in Hiſpaniis, & adeo odioſum, etiam in[ter] Seculares, vt nullus honeſtus vir aliquem pati[a]tur in ædibus ſuis quem ſciuerit ſemel fuiſſe ebri-um. Idem etiam faciunt Itali, & Galli, Sed Hi-ſpani in primis, nam illi ſolent Gallos vocare bo-rachos, *id eſt, ebrioſos, quamuis tamen compa-rati cum Germanis ſint ſobriȷſſimi, & lepido [...] dicterio ſolent Gallos exagitare quando illis a[...] ſunt* Toda la Francia eſta perdida por vna calabaça de vino. *Tota Gallia perdita eſt pro-pter vnam lagenulam vini. O Germania ſi in hac virtute ſobrietatis Hiſpanos imitareris! Quæ na-tio te poſſet ſuperare in ſapientia, fortitudine magnanimitate, & magnificentia? certe nulla. Sed quia plerumq; ſemper vino & potu cales & tumultuaris, aufertur à te Sapientia. Quæ enim maior poteſt eſſe ſtultitia & inſipientia? & quid poteſt magis eſſe contra omnem rationem, quàm quod multi, etiam inter doctos & bonarum lite-rarum Studioſos affirment & credant: Se nihil præclari poſſe efficere niſi egregè aliquando poti-tent. Et obȷcere ſolent multos, qui cum ſingulis diebus eſſent ebrȷ, tamen docti euaſerint, quaſi*

Hiſpani, Itali, & Galli ſummo odio proſequuntur ebrietatem.

Ebrietas tollit Sapientiam.

Stultiſſimi ſunt

quando

ando temperatè & sobriè vixissent ad tantam utiam non peruenissent. O stulti & tardi ad dendum id quod bonum & rectum est. Nam dico & verè dico, etenim cum verbo Dei d non potest mentiri, loquor. Quod si huius- di fortia cerebra & capita qui cum ebrietate liquam scientiam & doctrinam peruenerũt, potu abstinuissent, & sobriè temperateq; udiis applicuissent, facti fuissent lumina mũ- bi iam adhuc post Hispanos, Italos, & Gallos subtilitate scientiarum & sapientia stare co- ntur. Illi autem qui debili sunt cerebro & non forti natura & complexione, non solum non rueniunt ad aliquam scientiam & eruditio- m si subinde se inebriant, sed omnem etiam in- llectum, memoriam, ingenium, pulmones, ie- ur, cor, & ipsam vitam, vel saltem bonam vale- dinem in æternum amittere solent, nisi absti- eant, vt ego illorum multos vidi & cognoui. uot ego vidi & cognoui in Galliis & Hispaniis ermanos qui conquerebantur se aciem ingenij acumen obtudisse & perdidisse in Germania tando ita vt cũ Hispanis & Galliis & Italis in isputando pari gradu subsistere nõ possent cum iderent illas gentes tam viuè penetrare & dis- cutere omnia, quas alioqui, si temperatè & so- briè vitam degissent, longè superare potuissent. Nolito ergo credere, ô Germane studiose, vel quisquis tandem es, talibus helluonibus & stultis qui asseuerant, & dicunt: quod melius poßint

qui putant Temulentos posse melius studere, & sua efficere negotia.

studere & vacare scientiis, resq; efficere. Wan

Ein rauß sauffen. sie bißweilen ein rauß sauffen/ *hoc est, si ali-quando se inebriant. Nam est contra verbum Dei & Spiritus sancti quod expreßè dicit: cui væ cui suffusio oculorum? Nonne his qui cõmorãtur*

Prou. 23. *in vino, & student calicibus epotandis? Quid est væ, & suffusio oculorum, nisi quod omnem grati-am Dei, & sapientiam perdant ita vt postea nihil*

Prou. 20. *videre & verè intelligere poßint qui crapulæ se dedunt, Quod magis aperte dicit alibi: Luxurio-sa res vinũ, & tumultuosa ebrietas: QVICVN-QVE HIS DELECTATVR NON E-RIT SAPIENS. Et Isaias ait: Præ vino ne-*

Isaias cap. 5 & 28. *scierunt, & præ ebrietate errauerunt, sacerdos & prophetæ nescierunt præ ebrietate, absorbti sũt à vino, errauerunt in ebrietate, nescierunt vi-dentem, ignorauerunt iudicium, omnes enim mensæ repletæ sunt vomitu & sordibus. Quem (ta-lis ebriosus) docebit scientiam? & quem intelli-gere faciet auditum? Quasi diceret: omnes qui ebrietatem sectantur amittunt ingenium, iudi-cium, intellectum & sapientiam ita vt nec sibi, nec alijs vtiles esse poßint.*

Habetur in iure Canonico imagines sanctorũ

De consecrat. dist. 3. cap. 27. *esse venerandas, vbi S. Gregorius repræhendit Se-uerum Episcopum Maßiliensem lib. 9. epist. 9. quod sanctas imagines, quia quidam adorare vt Deos ceperant, confregisset, his verbis:*

*Perlatum ad nos fuerat, quod inconsiderato zelo succensus Sanctorum imagines, sub hac quasi excusatione, ne adorari debuissent, confregeris. Et quidem, quia eas adorari vetuisses, omninò laudauimus: fregisse verò reprehendimus. Dic frater, à quo factum Sacerdote aliquando auditum est, quod fecisti? Si non aliud, vel illud te non debuit reuocare, ne despectis alijs fratribus solum te sanctum esse crederes, et sapientem? Aliud est enim picturam adorare: aliud per picturæ historiam, quid sit adorandum, addiscere. Nam quod legentibus scriptura, hoc Idiotis præstat pictura cernentibus: quia in ipsa etiam ignorantes vident quid sequi debeant, In ipsa legunt, qui literas nesciunt. Vnde et præcipuè gentibus pro lectione pictura est.*c. 28. ibidem. *Venerabiles imagines Christiani non Deos appellant, neq; seruiunt eis, vt Dijs, neq; spem salutis ponunt in eis, neq; ab eis expectant futurum Iudicium: sed ad memoriam et recordationem primitiuorum venerantur eas, et adorant: (id est, reuerentiam eis exhibent propter prototypum) sed non seruiunt eis cultu diuino, nec alicui creaturæ, secundum illud:*

Imagines Sanctorũ colendæ.

Pictura est Scriptura idiotis.

Imagines non sunt Dij.

Effigiem Christi cum transis pronus honora,
Non tamen effigiem, sed quem designat adora.

Et quod hic dicitur de effigie Christi, idem intelligendũ est de imaginib. mẽbrorũ Christi, h.e.

omnium Sanctorum & Sanctarum. Hoc autem Hispani tam perfectè & rectè obseruant vt nulla gens Christianorum cum eis in eo conferri poßit. Nam imagines non vocant Deos, neque vt Dijs seruiunt, neque opem petunt ab ijs, verū si aliqui imagines, Deos appellare, vel vt Deos colere vellet punir etur grauißimè ab Inquisitione, & imagines in conspectu eius confringerentur, ad ei de- declarandum quod non sint Dij. Sed propter prototypon, hoc est, propter Christum, & Sanctos & Sanctas eius maiori eas honore prosequuntur quàm vlli alij Christiani. Vidi in Hispaniis ante imagines Christi, & Sanctißimæ Matris eius, Diuæ, & superexaltatæ virginis Mariæ, 8. 10. ac etiam 12. Lampades argenteas tantæ magnitudinis vt ahena ænea quæ noctes atque dies ante illas ardebant. Item Cereos, siue candelas ex cera confectas tam crassas vt vir aliquis est in corpore. Ex his duobus collige reliquum honorem quem imaginibus Christi, D. Virginis, & omnium Sanctorum exhibent. Quod Deo ita gratum est, vt eum honorem multis ibi compenset beneficiis & miraculis. Emi duos libros, vnum de miraculis quæ Deus patrat coram Crucifixo in Burgos stupendæ ane; alterum de miraculis quæ fiunt per intercessionem B. Matris Dei & D. virginis Mariæ in Monte Serrato, vbi mortui ad vitam reuocati sunt. Surdis & mutis & cæcis auditus & loquela & visus restitutus, claudis, paralyticis, veneficiis infectis, pristina valetudo reddita. In vnoquoque

Mons Serratus.

Burgos.

quoque

quoque horum duorum locorum, cultus diuinus, orationes, & pia opera nunquam cessant, ne minutum quidem horulæ tam noctu quàm interdiu, & aluntur continuò singulis diebus plusquā quadringentæ personæ propter amorem Dei, *qui deuotionis ergô ex omnibus mundi partibus eò confluunt. Et est tanta benedictio* Dei, *vt nunquā illis deficiat, sed semper abundent ad omnibus succurrendum, quia non ligno, non lapidi, non auro, neque argento honorem illum exhibent, Sed* Deo, *omnibusq; Sanctis eius qui cum eo regnant in Cælis.* Benedictio Dei propter cultū imaginum Sanctorum magna.

Diabolus vt fortis armatus possedit totum mūdum, ante Christi *aduentum, per suas imagines, simulachra & Idola Diabolica & Dæmoniorum. Venit Christus vt fortior eo, & vicit eum, omniaque arma & loca ei abstulit & occupauit, & possedit. Et quemadmodum Rex aliquis potentissimus cum alterius potentis & fortis regnum inuasit, aduersarij insignia & imagines deijcit, destruit & abolet, & suas substituit: vt ab omnibus qui cum eo colligere volunt, colantur & in honore habeantur: Ita Christus cum inuasit regnum Sathanæ, omnia eius insignia & imagines, simulachra & idola dæmoniorum deiecit, destruxit, & aboleuit; & sua insignia, & imagines, hoc est, suam crucem & imaginem, & imagines Sanctorum in locum eorum substituit, vt ab omnibus colantur & in honore habeantur qui cum illo, & non cum Sathana, colligere volunt. Vbicun-* Matth. 12. Marc. 3. Luc. 11.

que ergo nõ est Crux & imago Christi, & imagines sanctorum, ibi Christus nullo modo vicit & habitat, vt apud Turcas, & Caluinistas, & omnes Iconomachos, & imaginum Christi, & sanctorum destructores. Et *quemadmodum apud Gentiles & Ethnicos tanto maiorem Idololatriam & cultum dæmoniorum exercebant quantò plures habebant imagines & simulachra dæmoniorum quantoq; ijs solennius sacrificabant; Ita Christiani tanto maiorem exercent cultum diuinum, & tanto magis placent Deo, quanto plures habent imagines Christi, & sanctorum eius, quantoq; maiorem ijs exhibent honorem, & reuerentiam propter prototypos, vt hoc apud Hispanos, & omnes gentes Deus infinitis semper declarauit miraculis & beneficijs, quæ ille imaginum sanctarũ feruidis cultorib. apud suas sanctas imagines semper exhibuit & adhuc exhibet.*

Quantò plures quis habet imagines sanctas, & colit eas, tãtò sanctior est

Quantopere etiam ac perfectè Hispani obseruent ius ciuile, ex vno cognosce omnia, id est, ex hoc vno facilè (ne sim nimis prolixus) patet, quod secundum constitutionem Imperatoris Iustiniani nemiem ad Doctoratus insignia suscipienda admittant, nisi qui per quinq; annos continuos gnauiter iuri operam dederit, & lectiones publicas diligenter visitauerit. Quod si probatur per vnam integram septimanam sine legitima causa abfuisse, lectionesq; publicas neglexisse, repudiatur, & de nouo iterum debet incipere, et rursus quinq; annos continuos perficere, si eum honorem cupit adipisci. Et

Ius etiam ciuile strictissimè obseruant Hispani.

Et quia Hispani tam zelosi mandatorũ Dei, veræ Religionis, et tam diuinarũ quàm humanarũ legitime approbatarum legum sunt obseruatores; Deus etiam mittit super eos benedictionẽ illã quem repromisit, diligentibus se, in verbo suo, vbi ait: Si audieris vocem Domini Dei tui, vt facias atq; custodias omnia mandata eius, faciet te Dominus Deus tuus excelsiorẽ cunctis gentibus quæ versantur in terra. Dabit Dominus inimicos tuos qui consurgunt aduersum te, corruentes in conspectu tuo: per vnam viam venient contra te, & per septem fugient à facie tua. Suscitabit te Dominus sibi in populum sanctum, si custodieris mandata Domini Dei tui & ambulaueris in vijs eius. Videbuntq; omnes terrarum populi quod nomen Domini inuocatum sit super te, & timebunt te. Et fœneraberis gentibus multis, & ipse à nullo fœnus accipies. Constituet te Dominus Deus tuus in Caput, & non in caudam. Et eris semper supra, & non subter: Si tamen audieris mandata Domini Dei tui, & custodieris & feceris, ac non declinaueris ab eis nec ad dextram, nec ad sinistram, nec secutus fueris Deos alienos, neq; colueris eos, id est, falsam & hæreticam Religionem à Romana fide, (quæ à Deo vero data & stabilita est in sæculum sæculi) alienã. Quæ omnia Hispani (vt iã dictũ est) strictissimè obseruãt. Itaq; videmus hãc benedictionẽ diuinã in ipsos diffusã. Fecit enim Deus populũ Hispanũ excelsiorẽ omnib. gentib. quæ versantur in terra,

Benedictio Domini propter obseruationem mandatorum Dei.

Deut 28

& hunc

Hiſpani excelſiores omnibus gentibus quæ verſantur in terra.

& hunc quaſi ſolum ſuſcitauit & elegit in populum ſanctum ſibi & dignum, qui impietatem proculcarent, Sanctitatem propagarent, hæreticos comprimerent, Idola, & Idololatriam, cultumq; dæmoniorum extinguerent, veramq; veri Dei Religionem reſtituerent, conſeruarent, & in omnes omninò gentes & Barbaras nationes, quibus verus Deus nondum innotuit, propalarent & florere facerent. Et vt hoc poſſent, excitauit Deus ſemper inter illos viros Illuſtriſſimos, Sanctos, Sapientes & fortiſſimos, qui, tanquam alteri Moyſes, Ioſuæ, Samueles, & Dauides, tam in rebus ſacris quàm politicis inter illos veluti lumina ſplendidiſſima, vt Sol inter aſtra, prælucerent, & eſſent illis Duces fortiſſimi ad omnia bona promouenda, & mala auertenda.

S. Dominicus.

Antiquitus ex Hiſpano ſanguine excitatus eſt à Deo S. Dominicus Prædicatorum ordinis fundator, qui qualis & quantus fuerit, totus nouit orbis terrarum, quippe qui ſanctimoniâ vitæ clariſſimus, miraculorum patratione celeberrimus, ſolus is fuit qui Albigenſium hæreticorum deliria ſpiritus gladio tranſfixit atq; confodit: Sic hoc tempore Deus ex Hiſpanis excitauit B. Ignatium de Loyola Societatis Ieſu institutorem, quos fructus æterna memoria digniſſimos, felix ac frugifera hæc arbor protulit, non plura nunc attinet dicere, res ipſa loquitur. Taceo S. Franciſcum Xauerium qui acrimonia ingenij, indefeſſo labore, ſanctitate vitæ, & multis miraculis aliquot

B. Ignatius de Loyola.

S. Fran. Xauerius.

centena

centena hominum millia in nouo orbe Christo lucrifecit. Prætereo virum sanctißimum Marnum de Valentia qui innumeras penè animas ad Christi cultum in India perduxit. Quid dicam de viro incomparabili Episcopo Tostato qui solus dicitur plura scripsisse, quam omnes antiqui Patres simul, omitto innumerabiles alios ne sim nimis longus, & transgrediar ad Politicos, quos Deus Illustrißimos inter illos excitauit, qui & vitæ inculpatæ encomio eximij & arte & Marte clarißimi extiterunt. Diuinus & admirabilis inter illos fuit Rex Alphonsus secundus cognomento Castus dictus, ideo quod quamuis vxorem in matrimonio haberet, tamen vnà cum illa castitatem coluerit vsq; ad mortnm. Et 52. annos in Hispania regnasse dicitur. Et ad eum cælitus delata crux miri operis & splendoris quæ Oueti asseruari perhibetur. Quid dicam de Alphonso Arragoniæ Rege, qui vltra multa scripta quæ in Astrologia & Mathematica, ac etiam in rebus sacris & alijs edidit, quadragesies totam sanctã Scriptnram vnà cum glossis legisse dicitur. Hic adeò rapiebatur in doctrinam, eruditionem, & viros doctos, vt cum aliquando cultiori instructus literatura orator ad eum venisset legatus, & elegantem coram illo haberet orationem, sederit per integram horam immotus quasi raptus extra se, eum tanta auiditate auscultans, vt muscam, quæ illi insederat naso per integram horam non abigeret. Taceant hîc hæretici cum suis Regibus & princ ipibus

S. Martinus de valentia.

Tostatus.

Alphonsus Castus.

Alphonsus Arrogoniæ Rex doctissimus.

principibus doctis, quasi illi soli omnem doctrinã & eruditionem deuorarent, & Catholici, quos isti Papistas vocant, nihil facerent & nulla rerum scientia essent imbuti. Quid dicam de Ferdinando tertio qui sanctus (ait Vasaeus Hispanicarum rerum diligentissimus scriptor) habetur, ac multis miraculis clarus, omniumq; Hispaniae Regum, inquit Marinaeus, faelicissimus ac potentissimus, qui Sarracenos omnes, vel Hispaniae finibus expulit, vel trbutum soluere coegit. In eius obitu qui contigit Anno 1252. postquam regnauerat annos 45. diuinae voces auditae canentium ENIVSTVS MORITVR, ET NON EST QVI CONSIDERET. *& c. Quid dicam de Ferdinãdo quinto qui Mahumetanos tota Hispania prorsus eiecit, Bethicam, Nauarrã, Neapolitanam ditionem suis regnis adiecit, Indiasq; occidentales primus possidere caepit. Quid dicam de Carolo quinto, qui terror fuit Tucarũ, & domitor victorq; totius penè Europae. Quid in Africa, Indianisq; expeditionibus praestiterit historiae & annales abunde testantur.*

Ferdinandus III.

Rod. Sanct cap. 40.

Ferdinandus. V.

Carolus, V.

Quantos etiam deus illi genti addidit animos robur & animi constantiam ex vno cognosce omnes. Iustus Lipsius vir diuino praeditus ingenio, ac de re literaria optimè meritus in suo libro, cui titulum praescripsit MONITA POLITICA *sub capite de constantia ait his verbis.*

Cõstantia. Hispanorum.

Ad Christiana & nostra exampla tutius trãseo: quae in sanctis viris & Martyribus sunt infinita. Nul-

ta. Nulla re hæc religio magis abundat, magis se commendat & affirmat. Sed ea in suis locis sunt prompta; nos sparsa in Historijs colligimus, & in ijs vnum Alphonsi Peresij, Gusmani, in Hispania Betica, cui à moribus cognomentum Boni fuit, Magnus pace & bello ille vir, clarus opibus & earum vsu: atq; ecce specimen; Rex Castellæ Sanctius Tariffam (quæ veterum Carteia, siue Tartessus est) de Mauris ceperat, sed anxius custodiendi & tenendi, ob hostium viciniam, & ingentes sumptus. Suscepit vltrò in se curam Alphonsus, & partem stipendij de suo daturum promisit: Rex interea res alias ageret. paulò post, frater Regis Iohannes, ambitione praua ad Maurum trnasijt, & copijs ab eo acceptis subitò Tariffam obsedit. Obsessi nihil trepidare, in sua & Ducis virtute fidere, animos supra periculum habere: nisi quod infregit eos subitò inopinata res, captus Alphonsi filius (in agris fortè interceperant) & ante mœnia ostensus. Vnicus porro patri erat. Illi minari, nisi oppidum dederetur, sub oculis interfecturos se, & fœdè lancinaturos. Motis flexisq; alijs ille nec hilum: & alta voce negat, NB. *Si centum filios in potestate haberent, non ideò se à fide & honesto abiturum* Quin, inquit si tanta libido iugulandi est, en gladium: & suum è manibus proiecit. stupor me habet hæc scribentem: Quid spectantes? Ille sic abijt, & ad prandium se composuit. Cum ecce clamor & eiulatus dissonus auditus eum euocat: iterum-

Alphonsus Peresius.

Tariffam incredibili defendit constantia.

Alphonsi filius capitur.

Constãtia incredibilis.

Peresij filius occidit à Barbaris.

iterumq; in manibus se sistit. Quærenti consternationis causam, refertur: Filium barbarâ crudelitate interfectum. Hoc erat? inquit, credebam vrbem ab hostibus captam: & pari tranquillitate ad prādium, vxoremq; rediyt. Creditis posteri! Sed credite, res ita gesta est: & hostes magnitudine animi attoniti, nihil vltrà tentantes, discesserũt. Libet hic exultare: Estne factũ, vel in omni antiquitate fortius, vel laudabilius? Gratulor tibi gens & domus illustris Ducum Methymnæ Sidoniæ, quæ ad hunc authorem stemma & sanguinem refers. Fœlix origine, esto imitatione. Hucusq; Lipsius.

Hispani Idola destruunt.

Dictis his viris sanctis, & Illustribus Ducibus, aliysq; innmeris his similibus, quos Deus inter illos sanctitate vitæ, magnanimitate, & incredibili constantia animi excitauit, Hispani Idololatriã & Idola dæmoniorum conculcarunt, Euangeliũ Christi, & fidem Catholicã propagarũt, & regna sua gloriosè dilatarũt et adhuc conculcãt, propagant et dilatant? Et hoc cum tanta Dei benedictione, vt Podinus scriptor Gallus, quamuis Hispanis infensissimus, tamen scribat: Regem Hispaniarun decies plures et maiores terras prouincias, regna, et populos sub suo tenere imperio, quam Magnus Imperator Turcarum. Et auctor Thesauri politici asseueret, quod post homines natos nulli vnquam maius obtigerit Imperium eo quod Hispani iam tenent. Amplissimas enim & nobilissimas totius Europæ, Asiæ, atque Africæ regiones

Hispani decies maius habent imperiũ quàm Turcæ. Et vigesies maius quã olim Romani.

iones complectitur; Nouumq; & deniq; illũ velu i alterum terrarum Orbem, in quo gentes inau- ita antea, natione barbaræ, multitudine innu- merabiles, auro & diuitijs affluentes. Et Bozius le signis Ecclesiæ lib. 21. cap. dicat Nullum nqnam regnum, vel imperium tam longè lateq; a confinia protulit vt Hispanicum. Dionysius Halicarnassæus initio historiarum suarum probat imperium Romanum, fuisse omnium quæ exstite- rant amplissimũ. Nunc vero Hispanicum maius est illo, quo ad spatia terrarũ, viginti aut pluribus etiam partibus, vt quiuis metiri potest. Circun- dederunt enim & possident Hispani ambitum totius terræ, cunctis in locis ac regionibus haben- tes portus, arces, vrbes ac stationes suæ ditionis, Innumeraq; regna, prouincias, Insulas & regio- nes, auro, argento, metallis omnibus, ac gemmis quibuslibet, alijsq; diuitijs abundãtissimas. Hosq; omnes populos, diuina adiuuante gratia, à cul- tu dæmoniorum penè omnes tractos, in vnam re- ligionis vnius diuiniq; cultus & fidei Catholicæ consensionem coniunxerunt, & coniunctos paci- ficè possident.

Ambitum totius terræ possidẽt Hispani.

Et sic vident omnes terrarum populi quod no- men Domini inuocatum est super eos, hoc est, quod Deus est in medio & protector eorum, atq; ideo contremiscunt, & timent eos. Et non dubi- to, si ita constantes & zelosi veram Religionem, veramq; pietatem defendere & amplificare, mã- dataq; Dei, legesq; tam diuinas quàm humanas

tam strictè obseruare perrexerint, seseq; à peccatis grauioribus abstinuerint, quin cælesti benedictione totius terratnm orbis Monarchiam occupaturi et omnes gentes, populos, & nationes totius mundi subiecturi sint iugo suauissimo & gloriosissimo Christi, & in effectum per eos deductum videbitur quod ait Dominus Saluator. Et fiet vnus Pastor & vnum ouile.

Lingua Hispanica sancta.

¶ *Et in vera, syncera, aperta & sancta Religione & fide loquentur omnes gentes & populi veri synceram, apertam & sanctam linguam Hispanicam. Veram illam voco, quia Hispani veritatem amant & maximè defendunt: Synceram & apertam, quia syncero, recto & aperto sunt corde Hispani. Et præterea non est lingua apertior & clarior, minusq; tegumentis & apostrophis inuoluta quàm Hispanica: nam omnes litteræ in ea efferuntur, & omnia clariora elementa vt sunt a, o, & u, in ipsa dominantur: Sanctam nomino, quia quemadmodum lingua Hebraica vocatur sancta, quod populus Dei ea vsa sit: Ita hanc iustißimè Sanctam vocare possumus, quod eam is populus loquatur qui millies & infinities magis causam Dei sine macula candidè defendunt, propagant & amplificant, quam vnquam fecerit populus Iudaicus, siue Hebræus.*

Qui Christum amāt diligant etiam Hispanos.

Ament ergo Hispanos, qui Deum & Christū amant: Venerentur Hispanos, qui Deum sibi cupiunt propitium: Defendant Hispanos, qui à Deo & Christo defendi volunt, honorem illorum exaggerent, qui desiderant habere honorem & esse

nobiles: Eant cum Hispanis ad prælia, qui iusta bella exercere, & veram gloriam & honorem referre & reportare expetunt: Pacem cum Hispanis colant, qui veram pacem & tranquillitatem habere flagitant: Oderint Hispanos, qui Deum & Christum sibi poscunt contrarium & osorem: contemnant Hispanos, qui Deum hostem & inimicum sibi postulant: oppugnent & deserant Hispanos, qui à Deo oppugnari et deseri non curant: Diminuant et infament gloriam Hispanorum, qui concupiscunt propriam ignominiam, ruinam et esse ignobiles, vt videmus ad oculum multos principes viros, et nobiles, ignobiles et miseros esse factos, dum illis obstiterunt. At contra fælices esse, et florere in sancta pace, qui illis consentiunt et obediunt. Prælia contra Hispanos instituant, qui cadere, interire, ignominiam, infamiam, et nomẽ detestabile vel iniquitatis, vel rebellionis in æternum sibi inde acquirere appetunt. Breuiter amet, qui vult amari et nõ esse odio: veneretur, qui vult venerationem et non contemptum: Defendat qui vult defendi et non oppugnari: honoret qui petit honorem et non esse ignobilis: Ad prælia cum ijs eat, qui gloriosã cupit oppetere mortem, et vitã in bello finire sine infamia: Pacem colant cũ Hispanis, quib. trãquillè, et in vera pace florere cordi est. Vt videmus oẽs illas terras et populos, qui Hispanico regimini se placidè subiecerũt, in sancta et trãquilla fæliciq; vigere pace et cõcordia. Oẽs illæ Barbaræ nationes, quas illi ad fidẽ et trãquillã vnionem duxerunt, Hispanis immortales agunt

Qui subsunt Hispanis in sancta viuunt pace.

gratias, & quasi pro Dijs habent Hispanos, qui illos ad talem statum & felicitatem perduxerint in quo modò sub Hispanico regimine viuunt & florent. Reliquos autem omnes, qui ipsis reluctantur, in perpetuo videmus esse timore, vel in peruersa, impia, & prophana viuere pace, vel potius discordia & hostilitate, & tendere ad interitū.

Lingua Hispanica grauis & Maiestatis plena.

Appetant, prosequantur, & summo studio & diligentia, amore & feruore addiscant linguam Hispanicam, venerentur eam, colant eam, loquantur eam qui linguam veram, syncerā, apertam, & plenā Maiestatis, & grauitatis regiæ & heroicæ magnanimitatis, nec non, quod omnium primum est, refertam veræ pietatis & sanctitatis (Hispani enim veram pietatem & sanctitatem, vt iam dictum, purè defendunt: Et infiniti libri pij & sancti in eorū lingua qui in nulla alia scripti sunt, vt solum ob eam etiam causam posset aliquis illam addiscere deberet) habere, & ex se audiri, ornariq; tali desiderant.

Quomodò & vnde citò lingua addisci poterit.

At verò, vt huius tam præclaræ et excellentis et sanctæ linguæ cupidi sciant, quopacto eam citò, et vnde eam puram et politam addiscere & haurire poßint, breuiter ostendam (vt et in Institutionib. linguæ Gallicæ feci) qumodò se in studijs gerere, et quos Authores potißimum legere debeant.

Quomodo studendū, & qui Authores legendi.

In principio studiosè et diligenter perlegant omnia hæc præcepta, et videant vt meam intelligant mentem quo tendo. Sed statim ad vnguem ediscant memoriter coniugationes, et formationis Regulas

Regulas, et omnia verba in Alphabeto anne- quod ante omnia omninò necessarium est, vt tim ab introitu, extemplo poßint distinguere odos, tempora, et personas, nam in ijs maxima loquendi, vt intelligaris, inest. His scitis, legẽdo quoties hasce Institutiones, adiungant opti- s Authores, qui in hac linguã politè, purè et natè scripserunt; quales sunt primo: Fray Lu- is de Granada, Hispanorum Cicero appellatus, qui præter multa alia scripta quæ reliquit, tran- stulit optimè in linguam Hispanicam, libellum de imitatione Christi, Thomæ de Kempis, quem inscripsit: CONTEMPTVS MVNDI, ô Menosprecio del mundo, qui libellus impressus est. En Madrid por la Biuda de P. Madrigal Anno 1594. Forsan postea alibi etiam iterum impressus. Ematur, et semper in sinu circumge- ratur, et toties legatur, donec omninò memoriæ hæreat. Nam stilus est optimus, purus & tersus, et libellus sanctißimus. Secundo El P. Pedro de Ribadeneyra qui inter alios multos libros, edi- dit Hispanicè Historiam Ecclesiasticam de schis- mate regni Angliæ, graui et eleganti conscriptã stylo. Emite, legite, et gaudebitis legisse. Tertiò, Don Antonio de Gueuara Obispo de Mõ- douen Cronicator imperatoris Caroli Quinti. Qui multa doctißimè scripsit Hispanicè, inter quæ mirabiliter elucent: La vida de Marco Au- relio, et, El menosprecio de la Corte hoc est, Vita Marci Aurelij, et Contemptus vitæ Au- licæ. Sed

F Lud de Granada.

Contemptus mundi, Thomæ de kempis.

P Petrus de Ribadeneyra.

licæ. Sed horum trium doctißimorum virorum emantur, si fieri potest, omnia opera et scripta, eaq; diurna nocturnaq; versentur manu, et non tantum politus, tersus et optimus fies Hispanus, sed etiam immensam tibi acquires doctrinam tam in rebus sacris quam in Politicis.

La Celestina.

Qui etiam amoribus delectantur, legant libellum cui titulus est. La Celestina, *hunc libellum propterea cōmēdo, quod à Doctore in Acadamia celeberrima Salamantica doctißimè & politißimè est cōscriptus, nō vt amores doceat, sed vt homines tragico illo exitu à vanis illis amorib. absterreat, & vt discant matrimonia contrahere non clam, sed palam coram Sacerdote, cognatis, amicis & testibus. Nam alioqui amores horreo tradere in manus non tantum iuuenum, sed etiam aliorum. Non etenim ignoro amores esse pestem, non solum adolescentū, sed etiam aliorum, ac subinde quoque Senum. Omne enim genus hominū, nisi summoperè caueant, occupant, & ad extremam miseriam, & insaniam, sæpe etiam ad laqueum, & deplorandum deducunt interitum, nā verè cum illo dicere possum, qui dixit;*

Matrimonia palam coram testibus facienda.

Amores sunt pestis omnium, & sæpe perdunt homines.

Non amo nec amor, nec amaui,
Sed scio si quis amat, vritur igne graui.

Et cum Mantuano:

Non amor, vt perhibent, amor est, sed amaror & error.

Credo

Credo aliquis dæmon subiens præcordia flammam Concitat, & raptam tollit de cardine mentem.

Sapiens ait: Noli inter fœminas esse frequens, nam paruus ignis sæpe excitat magnum incendium. Ex frequenti conuentu & colloquio, fœminæ incendunt viros, & viri etiam fœminas. Aliquando vtrinque æqualiter, aliquando, & hoc sæpius, ab altera parte igne corripiuntur: Si vtrinq; æqualiter, aut possunt se habere propter æqualitatem conditionis vtriusq;, vel non possunt se ducere propter disparitatem qualitatis, conditionis, sanguinis & status. Si se possunt capere, & se capiunt, bene est. Si non se possunt iungere, torrentur & torquentur subinde ambo simul, vel saltem altera pars vsque ad mortem. Si non æqualiter ardent, altera pars sæpe suspensum tenet, & diu illudit & fallit ardentem, & sic etiam miserè torquet, & aliquando ad restem adducit. O *scelus!* Et *in hac parte, quamuis viri non boni (nam boni fraudem nesciunt) sæpè decipiant fæminas, & ad turpitudinem, mærorem immensum, infamiamq; & subinde ad mortem miserabilem deducant; tamen hic fæminæ non probæ, sed sceleratæ sunt omnium pessimæ & fallacissimæ, et serpentino astu miserè circumagunt, torquent, illudunt, & sæpé etiam planè, etiam cum voluptate, sceleratè perdunt, & spoliant omnibus bonis, & tandem ad insaniam, sæpe etiam ad mortem adigunt viros.*

Fugiendæ occasiones

Periculosa res amor.

Scelesti fallunt.

Boni non fallunt.

Et ita cautè, subdolè, & fraudulenter sciunt agere & tegere sua scelera & fraudes, vt etiam sapientißimos, optimos, & fortißimos quosque peßimè & diabolicè fallant, & pensiculatim ad interitum ducant. Exempla habemus in Adam David, Salomon & Samsone, & in quotidiana (heu nimis) experientia. Et verißimi sunt hi versus Germanici, quos à fœmina didici, an proba Deus nouit:

Fæminæ sapientissimos fallũt

Frawen list gehet vber alle list/
Sie bedriegen alles was zu bedriegen ist/
Sie machen den weisen zum Gauch/
Were Gott zu bedriegen sie thetens auch.

Sed maledictio Domini cadet super illas, & generatio earũ non prosperabitur. Nã animũ dolosum abominatur Dominus, & ponet partem eius cum hyprocritis, id est, cum dæmonibus in infernum. Caueant ergo probæ & pudicæ puellæ & fæminæ frequentibus adolescentum, et virorum copulari accessibus, sibique diligenter prospiciant, ne circumueniantur et cadant. Sed inprimis caueant sibi Iuuenes et viri ne blandis et dulcibus puellarum et mulierum capiantur verbis, illecebris, et pulchritudine, nam verißimum est, quod ait castißimus Michael Verinus:

Maledictio Dei cadet super omnes fallaces & dolosos.

Tutius in syluis Basiliscum audire frementem,
Quam dulces cantus fœmineumque melos.

Et quod Sapiens ait: Propter pulchritudinem alterius (tam in verbis et gestibus, quàm corporis formâ) multi perierunt. Ex pulchritudine enim, si nimis aspicitur, incenditur concupiscentia quasi ignis. Itaque tam puellæ et fœminæ, quàm adolescentes et viri sequantur consilium Sapientis, vbi ait: Noli vnumquemque aspicere in sua pulchritudine, et in medio virorũ et mulierum noli commorari; Nam veluti crescunt tineæ ex vestibus; ita exurgit amor et luxuria ex eo quando Iuuenes et viri, puellæ et fœminæ sæpe conueniunt. Et vt dicit versus.

Colloquium, visus, contactus, basia, risus,
Sunt Veneris comites; has fuge, tutus eris.

In amore qui fugit vincit.

Horreant etiam legere, canere, et audire libros amatorios, et cantilenas lasciuas, vt enim ignis incendit stuppam: ita libri amorum, et cãtus lasciui inflammant amores et libidines. Et impoßibile est eum, vel eam manere castum, vel castam, et sine igne, qui, vel quæ hisce incendiis delectatur, et sese occupat et maculat; Corrumpunt enim, vt verè ait Apostolus, bonos mores sermones praui. Et Ius Canonicum dicit: Ideo prohibetur Christianus figmenta legere Poëtarum, id est, libros amatorios, et cantilenas lasciuas; quia per oblectamenta inanium fabularum (de amoribus et rebus lasciuis) mentem excitant ad incentiua libidinum. Non enim solum thura

Libri amorum, & cãtus lasciui, vt pestes fugiendi.

1 Cor. 15.
Dist. 37. cap. 15.

Libri, & cantilenæ lasciui sũt à Dęmone,

offerendo dæmonibus immolatur, sed etiam eorũ dicta, (carmina enim & cantilenæ lasciuæ sunt dicta dæmoniorum) libentius capiendo.

Horrerem itaque & ego hunc libellum de Celestina *in manus tradere hominum, nisi scirem omnes vias rimas, & progressus quibus homines insanis illaqueantur amoribus in eo tradi, non vt imitentur, sed vt maturè eas præcludant & euitent, ne similem cum* Celestina, *& eius amatore miserandum sortiantur casum & exitum. Qui ergo eo afficitur, emat, & legat cũ cæteris, nam purum, & tersum, vt dixi, sermonem in eo inueniet Hispanicum, vtpotè à viro doctissimo, & optimo Hispano conscripto.*

Celestina & eius amator miserè pereunt.

Mirabitur forsan aliquis (vt & quidam mirati sunt de Institut. meis in linguam Gallicam) quod tam longis subinde vtar exemplis, ac etiam quod hic tam prolixus sim ad Lectorem. Sed mirari desinet, si causam intelligit. Mea intentio & ardens desiderium est, & semper fuit, potius animas lucrari ad vitam æternam, quàm linguas instruere ad loquendum, & cumulare multas diuitias, nam vltra victum & amictum quid amplius est nobis in hac vita? Itaque totam fidem, Catholicam, Apostolicam & Romanam (extra quam nemo ad vitam æternam, etiamsi quò ad oculum sanctissimè viuat, & omnia fecerit quæ Deus præscripsit, peruenire potest;) meis præceptis sum quasi complexus.

Declaratur intentio Authoris.

Cur Author in exemplis sit prolixior.

1. Tim 6.

Extra Ecclesiã Ro. nemo potest saluari quamuis piè etiam viuat.

Et quia hoc vno, vel duobus verbis subinde fieri non potuit, oportuit me sæpius esse longiorem, rem legenti indicarem. Dices hoc particulari opere fieri oportuisset. Respondeo; Baalistas prædicantes, qui Israel & populum Dei perturbant, & ipsum diabolum, ita miserum populum intoxicasse, & ita scripta Catholica, quæ isti Papistica vocant, ei denigrasse, exosa, & detestabilia reddidisse, vt, quam primum intelligunt librum esse Papisticum, id est, Catholicum, statim eum horreant, abijciant, & legere nolint, vel timeant. 3. Reg 18. & 22. 4. Reg. 10.

Cum autem plerique putant me aliquid præstitisse in linguis, libenter mea scripta in ijs emunt & legunt, vt sic facilè poßint linguas addiscere. Ac interim dum linguas venantur, incidunt in exempla præclara & sancta, quæ fidem Catholicam docent, ac ob oculos ponunt, atque sic margaritam preciosam Regni Dei incogitanter inueniunt, quàm alioqui absterriti à Baalistis suis, & ab ipso cacodæmone, quærere, inuenire, & arripere non fuissent ausi vel indignabundi respuissent. Vtinam omnes qui aliquid in lucem emittunt omnes ingenij neruos cò intenderent, vt miseras animas à recta Catholicæ, Apostolicæ & Romanæ veritatis viâ miserè seductas, in viam salutis reuocarent. Intentio Authoris. 3 Reg. 18 Omnes ad salutem animarũ sua scripta dirigere deberẽt, hoc tempore periculoso vbi tot regnant hæreses.

Nihil referret, siue hoc facerent per exempla præceptorum in artibus, siue in politicis, siue in

historijs,

historiis siue quocunque tandem modo id fieret, dummodò id facerent, et ad Christum animas reducerent, ait enim Apostolus: Se gaudere, sed
Phil. 1. *et se gauisurum esse, dum omni modo, siue per occasionem siue per veritatem, hoc est, ex proposito et opere in id intento, annuncietur Christus.*
2. Tim. 4. *Et alibi: Insta oportunè, importunè, etc. Itaque AMOREM AMO, NASVTOS ET MORDACES NON CVRO, AC AEQVI BONIQVE CONSVLENTES OMNIA QVAE IN BONVM FIVNT FINEM, ET BONA SVNT, LAVDO. Et te omnipotenti commendo Deo Regi saeculorum immortali et inuisibili, cui soli honor et gloria et imperium, laus et benedictio, claritas et gratiarum actio in saecula saeculorum, Amen. Coloniae Agrippinae,*

Anno 1614.

CLA-

CLARISSIMO, EXPERTISSIMOQVE VIRO AC DOMINO,

HENRICO DOERGANGIO,

APVD COLON. CLAVD. AVGVST. *Aprippin. Hispanicæ, Italicæ, et Gallicæ Linguarum Professori, ac Interpreti copiosissimo, Preceptori quondam suo optimè de se merito pro editis recenter in Linguam Hispanicam Institutionibus, honoris, & amoris ergo animo, ore, et stylo gratulatur.*

IOANNES IACOBVS zum Pus/ LL. Candidatus.

Teutonidûm gentile decus, Rheniq; bicornis
Accola, TRILINGVIS gloria prima CHORI,
Hispanis, Gallis, Latiæ quoque cognite genti
Natio quem cuperet qualibet esse suum.
Clara rudimenta, et nulli exaudita priorum
Vidimus Hesperidûm, Francigenûmq; soni.
Omine nunc addis fausto fundamina linguæ
Quam CASTELIA potens ornat, et orbis amat.
O nimium fælix cui tot dat gratia linguas
Diuersoq;

Diuersoq́; datur suauiter ore loqui.
Fœlix cui licuit linguarum tradere dona
Illarumq́; manu reddere & ore phrases.
Cum tua vel mutis tribuant documenta loqui,
Plenaq́; lætitiæ CLAVDIA *tota tonet.*
Nonnè reus Musis pariter, Nymphisq́; tenebor
Si tacitus soli prætereare mihi.
Indictum, neq́; enim fas est, tacitumq́; relinqui
Hunc qui tot populos sedulus ore refert.
Francigenos bibimus te propinante liquores,
Cessit & Italici grata loquela soli.
Audax, aut si quid forsan peccasse videbor
Arguar, ingrati non subiturus onus.
Parua quidem laudis, quamuis festina, Magistro
Nec volo, nec possum verba negare meo.
En moueo plausus, quo possum carmine canto,
FAELICEM *repeto, terq́;, quaterq́;* VIRVM.

IDEM

IDEM AD LIBRVM, ET STVDIOSOS LINGVÆ HVIVS CVPIDOS.

ITo parue liber totum curſurus in orbem,
Hiſpanamq́ʒ orbida ſine voce phraſim.
Vnus eris (mihi crede) ſatis, queis non erit hoſpes
DOERGANG, aßiduum nomen in ore meo.
Qui tamen hunc potius quærũt audire Magiſtrũ
Et viua Authoris voce domoq́ʒ frui.
Protinus hunc adeant, primoq́ʒ in limine læti
Inuenient magnum quem petiêre, virum.
Non tibi nec faciles anni, nec decolor ætas
Obſtabunt, nec ſi puluerulentus eas,
Hoc Duce carpe viã, portu ne forſan aberres
Quà prius intrauit PVTZIVS ire iubet.

MATER DEI, ORA PRO NOBIS



C. D. & D.

EPTEM SVNT COGNITV
ECESSARIA, EI QVI LINGVAM
liquam perfectè ſcribere, & loqui
deſiderat, de quibus ordine in hoc
libello tractabimus, Et ſunt
hæc:

1. Lectio.
2. Pronunciatio.
3. Genera.
4. Declinationes.
5. Coniugationes.
6. Syntaxis ſiue legitima ſtructura & compoſitio verborum & dictionum.
7. Copia verborum.

DE LECTIONE ET Pronunciatione.

LEctio & pronunciatio Hiſpanicæ linguæ facilis eſt, nam legitur vt apud Latinos & Germanos. *Pronunciatio.*

In quibus autem differt ſic paucis habeto.

B, *laxè effertur & quaſi* v. *conſonans, & ſubinde alterum pro altero ſcribitur,* bibir, *vel* viuir, B.

Bueluer, *vel* vueluer, Trauaxo *vel* Trabaxo abezar, *vel* auezar, abeja, *vel* aueja, boto, *vel* voto, barba *vel* barua, *In quibus autem dictionibus id fiat, obserua apud bonos & probatos authores.*

Bl. br. *Ante* l, & r, *natiuum sonum retinet, vt:* hablar, muchedumbre.

bd. *Ante* d, *in medio dictionis non effertur, vt:* dubda, dubdar, cobdo. *Sed hæc est scriptio antiqua, moderni enim omitttunt* b. *Sic* duda, dudar, codo.

C. ç a.o.u. C, *duplex habent*, c, *commune*, & ç *caudatū.* C *commune effertur communiter*, ç *caudatum effertur vt geminum* ſſ, *vt:* caçar, *quasi* caſſar. *Et* ç, *caudatum non debet scribi ante alias literas quàm ante* a, o, & u.

Ch. Ch *effertur vt ch apud Gallos, vel vt* ſch *apud Germanos, ita tamen preſſè vt t præponi videatur*, *vt* Mucho, muchacho, *quasi* moutcho, moutchatcho *Gallicè, vel* mutſcho / mutſchatſcho *Germanicè.*

Sc. *vt* c. Sc, *effertur vt simplex* c, *vt* pereſcer, *quasi* perecer, paſcer, *quasi* pacer, padeſcer, *quasi* padecer, cognoſcer, *quasi* conocer, naſcer, *quasi* nacer, careſcer, *quasi* carecer, mereſcer, *quasi* merecer, *itaq; indifferenter hic & in similibus* ſ, *scribitur, vel omittitur.*

Ga, go, gu. Ga, go, gu, *efferuntur apud veros Hispanos Madriti, & in Castilia, vt apud Germanos, vel vt apud Italos*, Ga, go, gu, *vt:* Gallardia, gozo gozar, guſto, guuia,

G *ante*

G *ante* e, *&* i, *effertur vt* j, *longum, vel vt* x *ante, vel inter vocales, vel vt* ch *apud Germanos, vt:* muger, regir, giron, mongil *quasi* mucher, rechir, chiron, monchil *Germanicè. Ac ob id in verbis, si Infinitiuus desinit in* ger, *vel* gir, *In aliis temporibus vbi* e, *&* i, *mutantur in* a *vel* o, *figuratiua* g *mutatur in* j *longum, vt infinitiui figuratiua* g *pronunciatio maneat, vt:* coger, cojo, coja. Regir, rijo, rija, Eligir, elijo, elija. Fingir, finjo, finja, *&c.* Ge, gi, vt je, ji. vel xe, xi. Coger, cojo, a.

Quia autem Catalani & Arragones Gallis vicini, Gallicam pronunciationem retinẽt, & ge, gi *spirant more Gallorum, & vbi durè efferre volunt, interponunt* u *vt Galli, hinc factum existimo, vt in multis dictionibus eadem scriptio & lectio per totam transit Hispaniam, quamuis tamẽ* ge. *&* gi. *durius & pressius efferantur quam* gue & gui. *Vbicunque ergo inueneris.*

¶ Gue, gui, *lege vt* ge, gi. *apud germanos, vel vt* ghe, ghi. *apud Italos, vel* gue, gui, *apud Gallos, vt:* Guerra, Gueuz, Guiar, Guia, Guitarra, Guinalda, *quasi* gerra, geus, giar, gia, gittara, ginalda *Germanicè, vel vt* gherra, gheus, ghiar, ghia, Ghitarra, Ghinalda *Italicè, vel* Guerre, gueux guiar, guia, guitarra, guinalda, *more Gallico. Et sic in cæteris. Hinc tamen excipiuntur.* gue, gui.

Aguelo, aguero, Cingueña, Deguello, *decapito*, Garguero, Guero, halágueño, pedigueño, Piguela, Regueldo, *nomen ructus, verbum verò ructus edo.* *Exceptio*

Siguença, *Ciuitas in Hispania, Seguntia.* Verguença, Verguençoso, Vnguento, & Arguir. *Quæ leguntur more Germanico, vel Italico, vel Latino.*

Gua. *Quando verò post* gu, *sequitur* a, *profertur vt apud Germanos, vel Italos, vt:* Guardar, guarda, guardia, guardian, guarnescer, guarnicion, guarir, Antigua.

Aguár, aguo, ague. *Et verba, quorum infinitiui terminantur in* guar, *Germanicam, vel Italicam pronunciationē retinent per omnia tempora, vt:* Aguar, aguo, ague, aueriguar, aueriguë, Fraguar, frague, menguar, mengue. *Sic etiam* Arguir, *& omnia eius tempora.*

H. H. *Hispani vocant* atsch. *Et vel omninò non, vel leniter aspirant, nisi in sequentibus, vbi pleno & denso spiritu more Germanico aspiratur. Primo in omnibus dictionibus cū deriuatis & cognatis quæ veniunt à Latinis & Italis ab f, inceptis, quales sunt:*

Hablar, *fabulari.*
Hacha *fax.*
Hado, *fatum,*
Halcon, *falco.*
Hambre, *fames.*
Harina, *farina.*
~~Haua, *faba.*~~
Hazer, *facere.*
Heder, *fætere.*
Hedor, *fætor,*
Hediundo, *fætibundus.*
Hembra, *fæmina.*
Hender, *findere.*
Heno *fænum,*
Herir, *ferire.*
Hermoso, *formosus*
~~Herrar, *ferrare.*~~
Heruer, *feruere.*
Heuilla, *fibia.*
Heuillar, *fibiare.*
Hez, *fex.*
Hidalgo, *filius.* de algo, *id est, de aliquo, Nobilis.*
Hiel, *fel.*
H erro, *ferrum.*
Higo, *ficus.*
Hijo, *filius.*
Hija, *filia.*

Hilo,

Hilo, *filum.* Hundo, *profundus.* Horno, *furnus.*
Hincar, *figere.* Horadar, *perforare.* Hoyo, *fossa.*
Hinojo, *fœniculum.* Horca, *forca, patibulum.* Humo, *fumus.*
Huso, *fusus.*
Hollin, *fuligo.* Horma, *forma.* Huyr, *fugere.*
Hoja, *folium.* Hormiga, *formica.*

His adiunge, in quibus etiam magno spiritu effertur h, *dictiones sequentes cum deriuatis & cognatis.*

Halagar, *adulari,*
Hallar, *inuenire.*
Haron, *vel* Haragan, piger, *vn poltron.*
Harnero, *cribrum.*
Harrear, *vexare, incitare bestias.*
Harriero, *Asinarius, qui conducit asinos.*
Hartar, *saturare.*
Hasta, *vsq;.*
Hato, *impedimenta, sarcina impedimentorum.*
Hebra, ein Fadem Garns & *res quauis tenuis vt filum.*
Hé, *ecce.*
Helo, *ecce illum.*
Hela, *ecce illam.*
Helos, *ecce illos.*
Helas, *ecce illas.*
Henchir, *implere.*
Hincharse, *inflare se.*
Hocico, *grunitus porcorum.*
Holgar, *se recreare.*
Holgura, *recreatio.*
Hollejo, *pellis serpenti detracta, vel* ein schobe.
Azorrado, *in femuralibus & Thorace, item exemptus, libertate donatus.*
Horro, *libertus.*
Huelgo, *nomē recreatio*
Huelgo, *verbum, me recreo.*
Huron, *genus mustellæ, ad capiendū cuniculos.*

 I, *duplex*

i j.

I. *duplex habent,* i, *breue, &* j *longum, siue* i *vocalis, &* j *consonans,* i *vocalis effertur vt in omnibus aliis linguis. Sed* j *consonans effertur vt* χ *apud Græcos, vel vt* ch *apud Germanos, vt:* hijo, hija, Iuan, Iesu, *quasi* ἴχο ἴχα Χοάν, Χεσȣ̃ *Græcè, vel* hicho/hicha/Chuan/Chesu *Germanicè.*

je, ji, ge, gi, xe, xi. eodem modo leguntur.

Hispani Gallis vicini spirant j *consonans vt Galli. Sed eos tu non imitaberis, si verè Hispanus esse velis. Et obserua quod* g, *&* j, *longum &* x *antè* e, *&* j, *eandem habeant pronunciationem. Itaque scribunt indifferenter.* Tigeras *per* g, *vel* Tijeras *per* j *longū, vel* Tixeras *per* x. Muger *quidem non secus scribitur quam* muger, *sed tamen effertur quasi* mujér, *vel* muxér, *vel Germanicè* mucher/ *& sic in cæteris.*

Muger.

L. l. vt l, y.

Quoties geminum ll, *ponitur in initio dictionis, tunc vltimum effertur vt* l. *Germanicum, vel vt* y, *sed ita vt illa duo* ll, *vnicam constituant syllabam cum sequenti vocali, vt:* llamar, llegar, *quasi* liâmar, liêgar, *dissyllaba.*

alla, ella vt al-ya, el-ya.

Alioqui in medio dictionis geminum ll, *mutat vltimum in* j, *germanicum, vel in* y *incipiens syllabam, quæcunque tandem vocalis præcedat, vt:* alla, ella, *quasi* al-ya, el-ya, *dissyllaba.*

Apollo. Camillo Tullio.

Quæ verò à Latinis descendunt, leguntur latino, & Germanico more, vel alterum l, *non effertur, vt:* Illegitimo, illicito, illuminar, Illusion,

...on, Illustrar, illustre, Illustrissimo, Apollo, Camillo, Tullio, excellente, *&c. Atque ...o quidam in his scribendis alterum*, l, *omittunt, quod putant magis Hispanicum, vt:* Illegitimo, Ilustrissimo, Apolo, Camilo, Tulio, excelente, *&c.*

N. ñ. ñ, vt n-y duo nn, non iungunt.

N. *quoties notatur titulo circumflexo, vel recto sic* ñ, *vel sic* ñ, *tunc effertur vt* n *&* y *incipiens syllabam, vt:* año, señor, *quasi* an-yo, sen-yor, *dissyllaba.*

Et obseruandum, quod qui purè & politè Hispanicè scribunt, nunquam coniungant duo nn, *sed loco vnius ponunt titulum circumflexum, vel rectum. Et quando in libris inueniuntur duo* nn, *simul, tunc vltimum* n, *debet legi, vt hic titulus, vel vt* y *incipiens syllabam, vt:* anno, sennor, *leguntur vt* año, señor.

Hinc excipitur Manna, *panis cælestis quod scribitur gemino* nn, *& legitur vt scribitur ad differentiam* Maña *quod significat fraudem, modum, & medium, dexteritatem, &c.*

Duas similes literas, vel duas eiusdē soni non coniungunt.

Atque hic per occasionem nota, quod Hispani duas similes litteras, vel duas litteras quæ sunt eiusdem soni, non coniungant, vt sunt exempli gratia, S, *&* C, *ante* e. *&* i. *hinc scribunt* Ciencia, Conciencia, concupicencia, diciplina, dicipulo, ocupar, pecar, afligir, compelér, ocurrer,

conocer,ocaſion,ſuceder,aflicion,perfecion,afirmar,aceptar,ſufrir. alegria, colocar. Iluſtre,iluſtriſſimo,afable,el agua,el anima, el alma; *&c. pro ſcientia,conſcientia,concupiſcentia,diſciplina,diſcipulus, occupare, peccare, affligere,compellere,occurrere,cognoſcere, occaſio,ſuccedere,afflictio,perfectio, affirmare, acceptare,ſufferre,* allegria,*alacritas,collocare*, Illuſtre,*illuſtrißimo,affabilis*, la agua,*aqua*, la anima, *anima*,la alma,*idem,&c.*

Excepciones. *Excipe*, Aſcenſion,reſuſcitar, Reſurreccion,*Et reliqua quæ à Latinis in ctio fiunt,quæ modò inueniuntur cum vnico* C,*modò cũ duo* CC, *vt:* leccion, lecion, diſtraccion, diſtracion, affeccion: affecion,correccion, correcion, *Atque hîc nota quod Latinum tia mutetur in* cia, *vt: ſcientia,* ciencia. *Et ctio mutatur in* cion, *vt Lectio,* lecion,*incarnatio,*incarnacion, *excipe* Acception.

ſc.

tia in cia.

ctio in cion.

ll. *Excipe &* l, *quod plerũq; duplicant,vt:* llano, lleno.amarillo,Caſtillo,alla,ella, *&c. ſed tũ vltimum* l, *legitur vt* y. *excepto in ijs quæ à Latinis veniunt, vt in* l, *dictum eſt.*

rr. *Libenter etiam duplicant* rr, *vt* : cerradero *vinculum*, correſponder,perro,hierro, derramar,arrodillar,irrational,arrimar, encerrar.

Rodilla *malè.* *Sed malè duplicant in principio ſyllabæ, & in initio dictionis.Doctis enim nõ probantur:*hõrra, rrodillas,enrriquecer,*pro* honra, rodillas, enriquecer, *& ſimilia.*

Dupli-

Duplicant etiam ſſ, *in omnibus ſuperlatiuis, vt:* doctiſsimo, Illuſtriſsimo. *Et in omnibus ſecundis imperfectis verborum, vt:* hablaſſe hablaſſes, hablaſſe, hablaſſemos, hablaſſedes, hablaſſen. *Sic* leieſſe, ſiguieſſe, *&c. Ac etiam alibi ſine conſcientia dupiicant* ſſ, *vt:* paſſar, taſſa, deſſeo, aſſegurar, promeſſa, confeſsion, profeſsio, miſſa, *Et in omnibus in quibus Latini duplicant* ſſ, *vt:* poſſeſsion, paſsion, impreſſion. ſſ.

In his etiam duplicatur ee, Veer, creer, poſſeer, peer, *Et in reliquis temporibus quæ regulatiter ab ipſis fiunt.* ee.

In verbis in ſcer, *etiam duplicant litteras eiuſdem ſoni, vt:* padeſcer, mereſcer, conoſcer, *ſed hæc etiam ſubinde ſcribunt ſine* S, *ſic* padecer, merecer, conocer. ſcer.

P. *Non duplicant niſi differentiæ cauſſa, vt* lapa, *flos vini, vel palus, &* lappa *herbæ genus, lappa.*

Qu *ante* e *&* i *&* o. *effertur vt k. eodem pacto vt apud Gallos, vt,* Que, quedar, Quien, Quintal, quotidiano, *quaſi* ke, kedar, kien, kintal, kotidiano. *Cum verò ſequitur* a, *legitur Latino, vel Italico, vel Germanico more, vt:* quando, quãto, quareſma, *Excipe* quaſi, qualidad, *quæ leguntur vt* caſi, cadidad, *& ſic etiam per* C, *à purioribus ſcribuntur. In* Cinquẽta *legitur etiam vt apud Germanos & Italos, ſed & hoc ſcribere ſolent* Cincuenta *per* C. que, qui vt Ke, ki. Qua.

Sr, vt rr. Israel vt Irrael malè.

Litera S. *tam in eadem dictione quam in diuersis ante* r, *ab ineptis quibusdam effertur vt* r, *vt:* Israel, las Ranas, las rameras, los ramos, los Rallos los Reges, los Rebeldes, los rincones, las Rocas, las rodillas, las rugas, los ruynes, *quasi Irrael.* Larranas, larrameras, lorramos, lorrallos, lorreyes, lorrebeldes, lorrincones, larrocas, larrodillas, larrugas, lorruynes, &c. *Sed hos ineptos tu non imitaberis, sed potius effer hæc omnia & similia vt scribuntur.*

v, vocalis crasſè vt *ou* Gallicè.

V. *vocalis legitur craſſè vt apud Germanos, & Italos, vel vt apud Gallos,* ou.

X ante vocales.

X *ante, vel inter vocales effertur vt x apud Græcos, vel vt* ch *apud Germanos, vt:* Xardin, Xaraue, exemplo, exercicio, *quasi* chardin/ Charaue/echemplo/echercitio *germanicè, Et obſerua, quod* x *&* j *longum ante, vel inter omnes vocales, Et* g *ante* e *&* i *eandem habent pronunciationem, vt: eodem modo effetuntur,* Xardin *&* jardin, Xesu, Iesu *&* Gesu, Trauajo *&* Trauaxo, Truxe, Truxiste, Truxo, *&* Truje Trujiste, trujo, *&* Truge, Trugiste, *&c. Et sic confusim & indifferenter ab ignaro vulgo hæ tres literæ etiam in Hiſpania ſcribuntur, tu tamẽ obſerua & imitare doctorum virorum orthographiam & ſcripturam, vide ſuprà in littera* g. *& in litera* j.

X. ante consonantes.

X *quando ſtat ante conſonantes effertur vt in*

alia

aliis linguis, vt: extender, vt extendere apud Latinos, sic exceder, experiencia, &c.

Z, effertur Germanico more, & quasi, ds, vt aspreza, vel vt Italicè duo zz, vt alteza, riqueza, dulceza, dureza, vezino, quasi, altedsa, aspredsa, riquedsa, dulcedsa, duredsa, vedsino, vicinus. Et hæc est causa, quod quæ Italicè scribuntur vnico z, pinguntur Hispanicè per ç, caudatum, vt danza, forza, Italicè, sed dança, fuerça Hispanicè, & sic in cæteris, nam ç caudatum hic idem valet, vt apud Italos vnicum Z. Z, vt ds. Z, Ital. ç Hisp.

(∴)

DE

DE ACCENTV.

GRæci ſapientiam quærūt, inquit Apoſtolus, & verè, nam illi ſapientiam, ſcientias, & omnes artes, quæ ſiuerunt, inuenerunt, & ad poſteros tradiderunt; Eaſque ab eis accepiſſe libenter omnes reliquæ nationes profitentur. Cùm igitur ſapientiam, ſcientias, & artes omnes ab ipſis inuentas, ſtudioſè æmulentur & excolant omnes gentes, mirum cur etiam inuentum de accentuum ratione non ſequantur? vt quemadmodum Græci ſuper ſingulas ſuas dictiones accentum figunt; ita & reliquæ nationes hac in re eos imitantes non itidem factitent in ſuis linguis? vt ſtatim inter legendum legenti conſtaret quas ſyllabas eleuare, & quas item deprimere oporteat. Hoc autem omnium rariſsimè Hiſpani faciunt in ſua lingua. An quia Martis potius quàm artis ſint ſtudioſi? An quia magis Bellonam omnia in-

indiſtinctè confundentem, quàm Muſas, cuncta accuratè & politè diſtinguentes & agentes, ament? Itaq; omnium difficillimum fuerit in hac lingua certam de his conſtituere doctrinam, quæ nimirum ſyllaba in ſingulis dictionibus cum accentu pronuntiari & eleuari debeat, quæ verò non. Veruntamen ſi regulas, quas ſummo ſtudio, & gnaua obſeruatione concluſas cum ſuis exceptionibus hîc proponam, diligenter quis expenderit, & legendo gnauiter obſeruauerit, in accentu vix errabit. Ponam igitur primò regulas generales, deinde ſpeciales cum ſuis exceptionibus.

PRIMA REGVLA. generalis.

Omnes dictiones Hiſpanicæ quæ à Latinis deſcendunt, eodem in loco accentum retinent, vbi eſt apud Latinos in ablatiuo ſingulari (niſi quando in nominatiuo manent, vt fenix, régimen. *) Nam Hiſpani, vt & Itali, maxima ex parte ablatiuum Latinorum reſeruant, vt:*

Absîntio, *vel* }
Absínthio, *vel* } *Abſynthium.*

Ab-

Afléncios
Efléncios vel } *Abſynthium.*
Arénxio.
Acídia,*acédia.*
Además,*adamás.*
Adiáfano,*adiáphanus.*
Agárico,*agaricum.*
ágil,*ágilis.*
Agrimónia,*acrimónia*
águila,*áquila.*
ámbito,*ámbitus.*
Amígo,*amicus.*
Amíga,*amica.*
Antíphona, *antíphona*
Aſpúrio,*ſpúrius.*
Axúndia, vel } *axún-*
Enxúndia, } *gia.*

B.

Betúmen, *bitúmen.*
Bíuoria,*vípera.*

C.

Cálice, *cálix.*
Cánones, *cánones.*
Canónigo, *canónicus.*
Cegúta, *cicúta.*
Clérigo, *cléricus.*
Cintória,*centáurea.*
Círio, *céreus.*
Cítola, *cythara.*
Código, *códex.*
Concláuio, *concláu[illegible]*
Cordíaco, *cordíacu[illegible]*

D.

Décimo, *décimus.*
Déſide, *déſes.*

E.

Embídia, *inuidia.*
Entreuálo, *interuall[illegible]*
Eróyco, *heróicus.*
Eſpúrio, *ſpúrius, vide* aſpúrio.
Eſtómago, *ſtómach[illegible]*

F.

Feníx, *phœnix.*
Filóſoſo, *philoſophus.*
Fíſica, *phyſica.*
Flemático, *phlegmáti-cus.*

G.

Gerarchía,*hierarchia.*
Gómito, *vómitus.*

I.

ínola,*énula campana.*
Inſídias,*insídiæ.*
Inſígnias, *insígnia.*

L.

Limite, *límes.*

Líbrigo,

Lóbrigo, *lúgubre.*
Llúuia, *plúuia.*

M.

Máquina, *máchina.*
Mecánico *mechánic*.

N.

Néruio, *néruus.*
Notomía, *anatomía.*

O.

ólio, *óleum.*
ópio, *ópium.*
órdeo, *hórdeum.*

P.

Pápulas, *papulæ.*
Páscua, *páscha.*
Perjuyzio, *præiudíciũ.*
Pértiga, *vel* } *pértica.*
Pértigo, }
Perlático, *paralyticus.*
Perlesía, *paralysia.*
Pérsego, *pérsica.*
Petáfio, *epitáphium.*
Pontífice, *pontifex.*
Pórfido, *pórphyrus.*

R.

Rábia, *vel* } *rabies.*
Ráuia }
Ráuio, *rábidus.*
Ráncio, *ráncidus.*
Régimen, *régimen.*
Reptílias, *reptília.*
Retólica, *Rethórica.*

S.

Saltério, *psaltérium.*
Sobéruia, *supérbia.*

T.

Tálamo, *tálamus.*
Teólogo, *Theólogus.*
Tércio, *tértius.*

V.

Vário, *várius.*
Vexámen, *vexamen, vel examen.*

X.

Xímia, *simia fœmina.*
Xímio, *mas simiarum.*

Y.

Ygléſia, *Ecclesia.*

Z.

Zéphiro, *Zéphyrus. Et sic in aliis.*

De Antepenultima.

Regula 2.

OMnia superlatiua in issimo & issima, proparoxytona sunt, id est, habent accentum in antepenultima, vt apud Latinos, quamuis subinde Latina non sint, vt:

Boníssimo,a, doctíssimo,a, grãdíssimo,a, malíssimo,a, poderosíssimo, a.

Regula 3.

ábia, ábio. áuia. áuio.

Omnia in ábia *&* ábio, *vel* áuia *&* áuio, *proparoxytona sunt*, *vt:* Algaráuia, agráuio, concláuio, desãgrauio, gábia, *vel* gáuia, lábia, *vel* láuia, lábio *vel* lábrio, rábia, *vel* ráuia, ráuio, resábio, sábio, *vel* sáuio, *Excipe* Atauío, desatauio. *penacuta.*

Regula 4.

ácia. ácio.

Omnia in ácia, *vel* ácio *acuunt antepenultimam*, *vt:* Acácia, cartapácio, dácio, desgrácia, hácia, *vel* házia, *pro versus*, pedácio, prefácio. *Excipe*, Abogacía, Bacía, malacía, maluasía. *Et omnia sub regula prima de penultima comprahensa quæ acuunt penultimam.*

Regula 5.

áñcia, vel ánsia,

In áncia, *&* áncio *sunt proparoxytona*, *vt:* Alcáncia, *vel* alcánzia, ánsia, *vel* ánxia, constáncia, consonáncia, cansáncio, escáncia, majagráncias. *Excipe*, Mercancía, *penacutum*,

tum, sed hoc potius Italicum est, quam Hispanicum.

Regula 6.

In ária, *&* ário, *item in* árria *&* árrio *proparoxytona sunt, vt:* Abecedário, almário, armário. Balançário, boltário, botecário, burlário, campanário, cossário, cunário, herbolário, honsário, *vel* hossário *vel* ossário, ochauário, párias, pário, perdulário, persicária, plegária, *vel* plegárias, *vel* pregárias. Bárrio, caxcárrias, *vel* cazcárrias, hárria, márria, nárria. *Excipe,* Alcaría, *vel* alcayría, alcarría, Barbaría, bizarría, cornudaría, desuarío, hostaría, *Et omnia sub regula prima de penultima contenta, quæ omnia penacuta sunt.* ária, ário. árria, árrio.

Regula 7.

Omnia in ecia *vel* ecio, *vel* ezia *&* ezio *habent accentum in antepenultima, vt:* Alferézia, aprécio, disprécio, espécias, *vel* spécias, espécie, menosprécio, nécio, récio, *vel* rézio, rompenécios. *Excipe,* Clerizia *penacutum, vide Regulam primam penultimæ.* écia, écio. ézia. ézio.

Regula 8.

Omnia in encia, *vel* encio *acuunt antepenultimam, vt:* Abenéncia, asensio, *vel* asséncio, *vel* axénxio, *vel* assénzio, *vel* ascéncio, *vel* assénsio, Bienqueréncia, creéncia, endoléncias, heréncia, menudéncias, Valéntia éncia. éncio.

tia *pro ciuitate, sed pro valore habet accentu* *in penultima, sic:* valentía.

Regula 9.

éria. ério. *In* éria, *vel* ério, *pauca sunt proparoxytona* *& sunt ferè hæc:* Bautistério, biuério, *castr* *& viuarium.* çahumério, *vel* sahumério, *vel* zahumério, catiuério, *vel* cautiuério, cementério, féria *vel* héria, herbolério, impropério, impropérios, Lazéria.

Multa sunt in ería *penacuta & sub prima comprahenduntur regula de penultima.*

Regula 10.

íbia, íbio. íuia, íuio. *In* íbia, *vel* íbio, *vel* íuia, *vel* íuio *acuunt antepenultimam, vt:* Alíuio, Bríbia, *vel* bríuia, chiríuia, endíbia, gíbia, *vel* xíbia, stíbio, solíuio, tíbio, a, *vel* tíuio, a.

Regula 11.

